DE CONFESSIONE PER LITERAS SEV INTERNVNCIVM,

DISSERTATIONES THEOLOGICÆ.

PRIOR.

R. P. FRANCISCI HYACINTHI CHOQVETII LILANI, ORD. PRÆD. S. TH. DOCT.

Eiuſdemque in Cænobio Duacenſi Profeſſoris, ac Regentis Primarij.

POSTERIOR.

R. P. FRANCISCI D'AVILA *Abulenſis, ex eodem Ord. S. Theol. itidem Doct. olim, ac Profeſſ.*



DVACI,

Ex Typographia BALTAZARIS BELLERI.

ANNO M. DC. XXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO AC
REVERENDISSIMO DOMINO

D. IOANNI FRANCISCO

DE COMITIBVS GVIDIIS
A BALNEO.

ARCHIEPISCOPO PATRACENSI,
GREGORII PONTIFICIS ROMANI
OPT. MAX.

NEC NON SEDIS
APOSTOLICÆ

IN BELGICIS AC BVRGVNDICIS REGIS
CATHOLICI DITIONIBVS, CVM PO-
TESTATE LEGATI A LATERE,

NVNTIO.

IVRE meo vtor, *Illuſtriſsime Domine*, cum duas haſce diſſertationes ad Amplitudinis tuę pedes

† 2 depo-

Digitized by Google

depono. Iudicem te quærunt & patronum, qui Theologicarum rerum in Belgicâ ſupremus es arbiter, & Catholicarum propugnator. Theologicæ ſunt, ac de re quidem vti difficili ita & neceſſariâ. Catholicæ ſunt, veritatem atque antiquitatem aſſerunt, vt Amplitudinis tuæ fauorem præſidiumque promereri queant. Vni lucem primùm damus; alteri veſtem: quod vnicum ſupereſt, tuę dignationis beneficio cõſequi debent: ni mirum, vt diſpliceant paucis, & ab illis quoque nominis tui auctoritate protegantur. Vtraque Pontificem quęrit, cui probetur; Vtraque Principem cui placeat.

Digitized by Google

ceat. Altera quidem Romę nata, in Clementis Octaui, vitâ longiore memoriâque ſempiternâ digniſſimi, clientelam venit: &, quia vtriuſque argumentum idem eſt, idemque ſcopus; vtraque ſub nominis tui alas procurrit. in te ſiquidem vno, Pontificem colimus & Principem. Pontifex es, olim quidem Clementis, alio, nunc Gregorij Maximi Belgico in orbe Vicarius. Princeps es, longâ maiorum ſerie, Germanici atque Italici ſanguinis gloriâ illuſtriſſimus. Magna ad tutelam nomina, quæ ſolâ tamen recordatione at iucundiſſimâ venerari cogor. Neque enim excurrere

Digitized by Google

mihi licet, quâ Guidiorum Principum, nominibus, titulis, pro Fide, pro Patria, pro Sanctę Sedis honore, præclarè fortiterq́ue, bello & pace geſtis: quâ (inquam) plurimorum heroum plurimis illuſtribuſq́ue victorijs, ſtratagematis, facinoribuſq́ue latè patet orationis campus. Non percenſeo antiqua ac ſacra Saxonum, Othonum, Cęſarũ ſtemmata; non commemoro ab aurea Guidonum ſtirpe, propagata illuſtriſſimarum familiarum genera. Tigrinorum, Ginulforũ, Bandinorum, aliorumq́ue imagines, magna patrię gentiſq́ue ſuę decora. Quæ cum maxima ſint, humilem

ſtylum

ſtylum contemnunt. Et verò, vt etiam quę tu ipſe, maiorum ceris, magnâ acceſſione addidiſti virtutum meritorumq́ue ornamenta prætercam; facit ingenuus ille animi tui cādor, qui ad virtutis arcem ſupra humanę aſſentationis auram aſſurgit, & magnus eſſe vult, non dici. Vnum tamen extra inuidiam omnem, dixero; rarum in orbe eſſe, qui vtramque maieſtatem, tui inſtar ſimul induerit; quiq́ue, vtriusque eruditionem pietatemq́ue tam arctè tam ſanctè coniunxerit. Ergo viue diu, terris cœloq́ue felix. Hic promeritam Romani Senatus purpuram aliquando, illic

perennem gloriæ trabeam, ſerò tamen expecta. Interim vt libellus iſte, ſub protectionis tuæ clypeo lateat. Faue, & Vale.

Duaci 1623. Ianuarij. 3.

Illuſtriſsimæ Amplitudinis tuæ
Obſeruantiſsimus Cliens

F. HYACINTHVS CHOQVETIVS.

Digitized by Google

Ad Lectorem.

CANDIDE Lector, non me tenuit ſcribendi Cacoëthes, vt diſſertatiunculam vnicam, pro vt in ſcholis noſtris à me dictata fuit, præmaturè in tuum conſpectum prodire permiſerim: etſi enim aliquando fortè conſenſurus fuiſſem, vt cum quibuſdam, alijs quas itidem in publicum dari, non vna cauſa poſtulat, hæc quoque ederetur; tamen nihil minùs ſanè cogitaueram, quàm vt ſola, ex aduerſarijs manibuſq; meis abiret. Sed iuris noſtri non ſumus, qui ex aliorum nutu, pro vitæ & voti ratione, pendemus. apparuit Duaci nuper, tractatus eodem de argumento, R. P. FRANCISCI D' AVILA, viri ex ordine noſtro eximij, quem annis ab hinc viginti duobus, Salmanticæ ſemel videram, non inſpexeram tantum: apparuit inquam, ſed adeo deformatus mendorumq; plenus, vt vix ſex lineas abſque errore, qui etiam ſenſum auctoriſq; mentem obſcuraret, legi potuiſſe, plures mecum aduerterint. Cogitatum ergo, & quod facile fuit, omnino perſuaſum, vt quoad fieri poſſet caſtigatus, nouâ in Belgio

veſte donaretur. Et quia exiguus eſt, atque tunc quidem ſcriptus, quando nonnulla quæ ad propoſitam difficultatem pertinent, nondum edita erant, vt proinde auctor ignorare aut certè neſcire debuerit; audiui eos qui ſuadebant, quæſtiunculam quam diſcipulis tradideram, auctarij loco adiungi debere: ſed poſtea nouo conſilio factum, vt nomine diſſertationis, *vtrumq; vulgaretur, & noſtra quidem priore loco poneretur. rem difficilem atque obſcuram conati ſumus dilucidè explicare, & veterum Thomiſtarum ſententiam exponere, & quatenus opus fuit vindicare: quod an præſtitum à nobis ſit, tuum erit iudicare, & tenuitati noſtræ ſi res deſiderio non reſpondeat, indulgere.*

APPRO-

Digitized by Google

Approbatio Cenſoris Academici.

INfra ſcriptus perlegi hos duos libellos, magno ſtudio elaboratos, quibus agitur *de Confeſſione per literas vel per internuntium;* priorem quidem Authore P. HYACINTHO CHOQVETIO, Ordinis Prædicatorum, S. Theologiæ Doctore Duacenſi, & Studij Theologici Fratrum ſui Ordinis in eadem Ciuitate erecti, Regente primario; Poſteriorem verò, Authore P. FRANCISCO D'AVILA Abulenſi, ex eodem ordine, itidem S. Theologiæ, dum vixit, Doctore ac Profeſſore, antehac legitima authoritate Romæ & Methimnæ excuſum. Et quoniam ſcopum his authoribus propoſitum, videmus eſſe tranquillitatem Eccleſiæ, & religioſorum diuerſi ordinis bonam concordiam: vtiliter eos libellos excudi poſſe cenſuimus; Duaci, quinto die Nouemb. 1622.

BARTHOLOMÆVS PETRVS, S. Th. Doct, & in Vniu. Duacenſi Profeſſ.

APPRO-

Digitized by Google

APPROBATIO ALTERA.

Ego infra ſcriptus, ex commiſſione Illuſtriſſimi ac Reuerendiſſimi Domini D. Iacobi Boonen Archiepiſcopi Mechliníenſis, diligenter perlegi diſſertationem theologicam eximij patris ac ſacræ Theologiæ Magiſtri, Fratris HYACINTHI CHOQVETII *Ord. Præd, quâ quæritur* poſſit-ne vllo caſu validè fieri confeſſio ſacramentalis Sacerdoti abſenti? *in quâ nihil inueni quod Sanctæ Romanæ Eccleſiæ definitionibus, & antiquis eiuſdem Canonibus, necnon Angelici Doctoris Auctoritati non ſit valde conforme: quocirca prælo dignum cenſeo. dedi Bruxellæ, in Conuentu Fratrum Minorum regularis obſeruantiæ, anno Domini* 1622. 7. *Septembris.*

FRATER FRANCISCVS FLAVIVS S. T. Lector.

FACVL.

Digitized by Google

FACVLTAS R. ADMODVM P. PROVINCIALIS.

INfra ſcriptus facio Facultatem R. P. Fratri Hyacintho Choqvetio S. T. Magiſtro ſtudij noſtri Duacenſis Regenti primario, dandi in lucem theologicas diſſertationes *de Confeſsione per literas ſeu internuncium*; Priorem quidem, ab ipſo ſcriptam: Poſteriorem vero, à R. P. Francisco d'Avila, noſtri etiam Ordinis viro, & S. T. Doctore. in cuius rei Fidem his officij noſtri ſigillo munitis ſubſcripſi, Duaci 1622. Auguſti 24.

FRATER IOANNES DES LOIX S. T. Magiſter Ord. Præd. In Belgio prior Prouincialis.

SVM-

SVMMA PRIVILEGII.

Cum Regio priuilegio dato Bruxellæ 10. Sept. 1622. Signato *E. De Berti* cautum ſit, ne quis diſſertationem hanc Theologicam Priorem, *de Confeſſione per litteras ſeu internuntium*, citra noſtrum conſenſum infra 4. annos, Typis in Belgio committere, aut alibi editam, venum exponere audeat, ſub pænis ibi latiùs expreſſis; ideo BALTAZARI BELLERO in Academiâ Duacenâ Typographo iurato, do Facultatem illam imprimendi & euulgandi. Duaci 1622. Nouemb. 6.

FRATER HYACINTHUS CHOQVETIVS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX CAPITVM
PRIORIS DISSERTATIONIS.

Caput I. P*Rior opinio eiúſque fundamenta.*

Cap. II. *Eadem Sententia rurſum confirmatur.*

Cap. III. *Adfertur germana ſententia ſancti Thomæ, & Thomiſtarum.*

Cap. IIII. *Probatur eadem ſententia.*

Cap. V. *Adfertur decretum Clementis 8. eiúſque interpretatio confutatur.*

Cap. VI. *Reſpondetur ad argumenta capite primo adducta.*

Cap. VII. *Tractatur difficultas de moribundo obmuteſcente.*

Index Capitum Poſterioris diſſertationis.

Caput I. P*Rior ſententia aiens, Confeſſ. abſenti factam, validam eſſe.*

Cap. II. *Auctores partem negatiuam tenentes referuntur.*

Cap. III. *Monſtratur confeſsionem quæ ſacerdoti fit, eſſe Sacramentum.*

Cap. IIII. *Monſtratur Confeſsionem ſacramentalem iure diuino inſtitutam eſſe.*

Cap. V. *Sacramentalem confeſsionem ad ſalutem eſſe neceſſariam.*

Cap.

Cap. VI. *Sacramentalem confeſsionem eſſe materiam proximam ſacramenti Pænitentiæ.*
Cap. VII. Ego te abſoluo, *eſſe conuenientiſsimam pænitentiæ ſacramenti formam.*
Cap. VIII. *Confeſsionem Sacramentalem iure diuino, ac humano debere eſſe ſecretam.*
Cap. IX. *Argumentum ex decreto ſanctiſsimi D. N. Clementis Octaui.*
Cap. X. *Argumentum ab inſtitutione huius ſacramenti deducitur.*
Cap. XI. *Idem oſtenditur ex Decreto Eugenij.*
Cap. XII. *Argumentũ ex capite* Quem pænitet.
Cap. XIII. *Argumentum ex parte iudicij in foro conſcientiæ.*
Cap. XIIII. *Alijs argumentis eadem ſententia negans confirmatur.*
Cap. XV. *Argumentum ex cauſalitate inſtrumentali Miniſtri ſacramenti pænitentiæ.*
Cap. XVI. *Alia argumenta quibus ſententia negatiua fulcitur.*
Cap. XVII. *Argumenta quædam pro contrariâ ſententiâ facta ſoluuntur.*
Cap. XVIII. *Soluuntur reliqua argumenta.*
Cap. XIX. *Doctores qui pro contraria ſententia referuntur, ab illo errore purgantur.*
Cap. XX. *Explicantur dicta aliquorum Doctorum, pro contraria ſententia adducta.*
Cap. XXI. *Explicantur aliorum Doctorum dicta.*
Cap. XXII. *Explicatur quid ſenſerit Author Margaritæ Confeſſorum.*
Cap. XXIII. *Argumentis Petri de Soto & Nauarri reſpondetur.*

DIS-

DISSERTATIO THEOLOGICA.

Poſſitne vllo caſu validè fieri Confeſſio Sacramentalis Sacerdoti abſenti?

REM huius diſputationis obiter dumtaxat attigerunt veteres Theologi, fuit tamen annis ab hinc plus minus triginta à recentioribus grauiter agitata, potiſſimè in Hiſpanijs, imo & ad ſedem Apoſtolicam delata, ac tandem anno milleſimo ſexcenteſimo ſecundo per Sanctiſſimum Dominum Clementem 8. definita. Quædam nihilominus etiam nunc illi quæſtioni vel eadem vel maxime connexa in controuerſiâ remanent, de quibus diſputant Theologi an illo Pontificis decreto comprehendantur. Quæ cum ſint difficilia, & alioqui Sacramenti Pænitentiæ praxim reſpiciant, eiuſque ſubſtantiam & valorem: operæ-pretium erit tum ea, tum propoſitam quæſtionem, ipſamque Pontificis definitionem, cum Dei gratia expendere & declarare.

CAPVT I.

Prior opinio eiuſq; fundamenta.

1. QVORVNDAM Theologorum ſententia fuit Sacramentum Pænitentiæ tam ex parte formæ quam ex parte materiæ, poſſe conſummari inter abſentes, ac proinde confeſſionem validè fieri ſacerdoti abſenti, & ab eodem abſente abſolutionem cum effectu impendi. In hanc ſententiam citant quidam nonnullos antiquos Thomiſtas; Paludanum in 4. diſt. 17. q. 2. art. 1. Antoninum 3. part. tit. 14. cap. 19. §. 9. & titu. 17. cap. 12. & cap. 21. Sylueſtrum verbo Confeſſio q. 13. Turrecremata in cap. Quem pænitet, Bartholomæum Fumi verbo Confeſſio numero 23. Raynerium Piſanum 1. p. pantheologiæ tractatu de confeſſione cap. 9. Petrum de Tarantaſiâ, & Petrum de Soto lectione 11. de confeſſione: quorum dicta inferius expendentur. Referuntur etiam pro eâdem opinione alij vt Alenſis, Richardus, Maior; ſed quoſcumque demum habuerit auctores ſenſim collapſa fuit, & à ſcholis reiecta, præcipuè per Thomiſtas infra adducendos, adeo vt pauciſſimi poſtea illam ſequuti fuerint; vt Palacios in 4. diſt. 17. diſputatione vltimâ, & Nauarrus in manuali cap. 21. numero 36. quam poſtea de pænitentiâ diſt. 5. cap. Fratres, num. 94. retractauit. Alij ſolum dixerunt eſſe probabilem, vt Ioannes Medina Codice

Thomiſtæ quibus opinio damnata imponitur. Paludanus. S. Antoninus. Sylueſter. Turrecremata. Barthol. Fumi. Raynerius Piſanus. Petrus de Tarantaſ. Petrus Soto.

Codice de pæniten. tract. 2. q. 15. §. *Quartum dictum*, & Rutilius in ſpeculo Epiſcoporum diſp. 1. q. 5. At nouiſſimè eam ſuſcitarunt atque paſſim in ſuis ſcholis conſtanter docuerunt recentiores quidam; nullâ initio adiectâ neceſſitatis, aut articuli mortis limitatione; quam poſt acres & frequentes aliorum diſputationes poſuerunt.

Porrò ſuam illam doctrinam varijs argumentis probare conati ſunt. Primò. Quia potuit Chriſtus Dominus ita hoc ſacramentum inſtituere, vt ad eius valorem & ſubſtantiam non eſſet neceſſaria præſentia ſacerdotis; idque tum naturæ huius ſacramenti, tum ſaluti pænitentium erat magis conſentaneum; imo ex ipsâ inſtitutione & verbis Chriſti videtur ita factum eſſe, ergo. Antecedens quo ad ſingula quæ continet declaratur & oſtenditur. 2.

Prima ratio recẽtiorũ ex poteſtate inſtituendi Sacramenta & conueniente modo inſtitutionis Sacramẽti Pœnitẽtia.

Prima pars quidem, Quia poteſtas inſtituendi ſacramenta, in Chriſto non fuit determinata ad certum modum vel conditionem, ſed ab illis prorſus independens; ideo enim appellatur à Theologis poteſtas excellentiæ: at non fuiſſet talis, ſi inſtituendo hoc ſacramentum fuiſſet depẽdens à modo præſentiæ ſacerdotis.

Secunda pars, ſcilicet conſonum eſſe huic ſacramento vt inter abſentes peragi poſſit; patet, (vt aiunt) Cum enim nihil aliud ſit quam iudicium quoddam, & illud quidem reconciliatiuum in quo pænitens eſt ſimul accuſator, teſtis, & reus: non eſt ei negandum quod alijs iudicijs conuenire poteſt, quæ cum ſtrepitu exercentur, & in quibus pro confeſſione rei ac ſufficiente notitia delicti, laborandum eſt.

 3. Pars

3. Pars etiam patet ex neceſſitate huius Sacramenti, in baptizatis, poſt lapſum. Varijs enim ex cauſis fieri poteſt vt ſacerdos præſens haberi nequeat, & alioqui facile ſit per litteras aut nuntium conſcientiam ei aperire: idque pro humanis caſibus frequenter accidit, vel quia vterque ægrotat, ſacerdos ſcilicet & pænitens, vel quia alter eorum eſt in carcere, vt ſæpius euenit in prouincijs hæreticorum: vel tandem ob magnam penuriam ſacerdotis, vt initio naſcentis Eccleſiæ, & nunc in pleriſque partibus Indiarum.

Poſtrema denique pars, videlicet confeſſionem de facto ita fuiſſe inſtitutam; Probatur: Quia Chriſtus Dominus abſolutè ac ſimpliciter dedit ſacerdotibus poteſtatem remittendi peccata, ijs qui ob eum finem conſcientiarum ſuarum reatus illis aperirent, neque ſpecialem aliquem modum confitendi aut abſoluendi præſcripſit: vt patet ex illo Ioannis 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis:* & ex illo Iacobi 5. *Confitemini alterutrum peccata.* ijs enim locis nulla ponitur reſtrictio.

2. ratio ex conditione Confeſſionis & veritate formæ abſolutionis.

2. Arguitur. Abſentia non repugnat eſſentiæ huius ſacramenti, neque ex parte materiæ quæ eſt confeſſio, neque ex parte formæ quæ eſt abſolutio, ergo. prior pars antecedentis probatur. Quia ex parte confeſſionis nullum incommodum fingi poteſt præter publicitatem & quæ ex illâ conſequi poſſunt, ſuppoſitâ malitiâ vel incuriâ nuntij aut ſacerdotis: atqui illa incommoda non ſunt talia propter quæ impediatur valor ſacramenti, cum confeſſio ex beneplacito confitentis poſſit publicè

blicè fieri; ergo. Rurſum verba abſolutionis habent verum ac proprium ſenſum etiamſi dirigantur ad abſentem. 1. Quia per litteras abſentibus loquimur. 2. Quia verba abſolutionis à cenſurâ, cum veritate & proprietate referuntur ad abſentem. 3. Quia in propoſito pænitens non eſt omnino abſens ſed per ſuam confeſſionem fit moraliter præſens ſacerdoti. 4. Quia abſque ſubiecti mutatione & vllâ falſitate formæ, loco pronominis (te) poteſt poni nomen proprium confitentis; ergo.

3. Matrimonium non ſolum quatenus eſt contractus quidam, verum etiam quatenus eſt ſacramentum & gratiam confert, perficitur inter abſentes per procuratores: ergo abſentia non impedit valorem ſacramenti, vt ſic; ac proinde cum in propoſito nihil aliud obſtet ex particulari ratione confeſſionis aut abſolutionis, vt iam dictum eſt: poterit hoc ſacramentum inter abſentes conſummari, & proprium effectum habere. Conſequentia probatur. Quia impedimentum cur confeſſio ſacramentalis non poſſit fieri ſacerdoti abſenti, ſumi debet vel ex communi ratione ſeu conditione ſacramenti, vel ex ipsâ ſpeciali naturâ huius ſacramenti; atqui ex neutro ſumitur. non ex 1. quidem, vt patet ex antecedente poſito: neque ex ſecundo, vt argumento præcedente dictum eſt. Antecedens verò etſi à quibuſdam & præſertim Caietano Opuſc. 40. de Matrimonio, quæſtione 1. negetur qui exiſtimant matrimonium tunc non eſſe ſacramentum ſed dumtaxat contractum: Eſt tamen communior Theologorum ſententia, quam tradunt Sotus

3. ratio à ſimili de Sacramẽto Matrimonij quod fit inter abſentes.

Digitized by Google

in 4. diſt. 27. quæſt. 1. art. 3. vbi contrarium dicit eſſe temerarium. Catharinus lib. 5. contra Caietanum, dicens oppoſitum eſſe nouum & inauditum. Petrus de Ledeſma tractatu de Matrimonio cap. 2. concluſione 17. dub. 1. aſſertione 2. & alijs omiſſis, ita ſentiunt communiter recentiores Thomiſtæ: contra quos vrget diſcurſus huius argumenti.

Amb. Cathar. Caiet. Petrus Ledeſma.

4. ratio ex præſcripto ſupplendi defectum abſolutionis inualidæ, reſpectu pænitentis abſentis.

4. Sacerdos qui abſque ſufficiente iuriſdictione aliquem abſoluit cum deprehenderit errorem debet iuriſdictionem neceſſariam requirere, & eâ obtentâ, ſi aliter non poſſit, etiam abſentem abſoluere vbicumque ſit terrarum: ergo poteſt hoc ſacramentum inter abſentes perfici. Conſequentia patet: quia licet confeſſio eo caſu facta ſit in præſentiâ, forma tamen verè & propriè dirigitur ad abſentẽ; & ſi quid obſtat cur hoc ſacramentum inter abſentes conſummari non poſſit, potiſſimè ſumi debet ex parte formæ, vt etiam fatentur aduerſarij: ergo. Antecedens verò poſt longam deliberationem fuit reſolutum à pluribus Patribus & Doctoribus in Concilio Baſileenſi vt refert Sanctus Antoninus, ſupra tit. 17. cap. 12. & 21. Syluester verbo confeſſor 3. & quidam alij.

5. ratio ex sāctis Leone. Cypriano, hiſtoria Serapionis & S. Thoma Cantuarienſis.

5. Hæc ſententia ſumitur ex Leone Papa, & refertur cap. qualis, 30. quæſt. 5; vbi tradit pænitentiam per ſcripturam eſſe recipiendam, ſumitur etiam ex antiquâ praxi Eccleſiæ; ſiquidem Cyprianus epiſtolâ 17. dicit ſe recepiſſe per litteras confeſſiones quorundam abſentium; & licet non dicat ſe eos etiam in abſentiâ ſacramentaliter abſoluiſſe, colligitur tamen ita ab eo factum, partim quia illorum confeſ-

Digitized by Google

confeſſio ordinabatur ad abſolutionem obtinendam, partim quia addit, illis qui ſic ſibi confeſſi fuerant ſi ad mortis articulum deueniſſent, etiam à Diacono, defectu præſbyteri manum imponendam fuiſſe: ex quo clarè infertur eiuſmodi pænitentes ſacramentaliter fuiſſe ab eo abſolutos, & ſolum eis defuiſſe cæremonialem abſolutionem quæ ad Eccleſiæ ſtatutum pertinebat, de quâ infra dicturi ſumus: Etenim ſacramentalis abſolutio à Diacono dari nequit. Accedit Serapionis cuiuſdam factum quod ex Dionyſio Epiſcopo Alexandrino refert Euſebius Cæſarienſis lib. *6.* hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. *3.* is enim Serapion, cum ad fidem, à quâ prius exciderat, Dei beneficio redijſſet, ſæpiuſque quæſitam reconciliationem non impetraſſet; morti propinquus, ſacerdotem ad ſe aduocari fecit, vt ſaltem in ſupremo vitæ agone ſui criminis abſolutionem acciperet; ſacerdos verò graui etiam morbo impeditus, per miniſtrum Euchariſtiam miſit. ex quo ſupponitur eum à peccatis abſoluiſſe dictum Serapionem in abſentiâ, per litteras ſiue per nuntium; tum quia eiuſmodi abſolutionem deſiderabat Serapion, tum quia non potuit Euchariſtia à ſacerdote, illo caſu dari, niſi præmiſsâ abſolutione à peccatis. Eundem vſum confirmat Sancti Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis hiſtoria, quæ teſte S. Antonino 2. parte hiſtoriarum tit. *17.* cap. *3.* §. *1.* habet, eum Romam ad Pontificem miſiſſe pro abſolutione. cuius rei etiam meminerunt Scotus & alij.

CAPVT II.

Eadem Sententia rurſum Confirmatur.

3. POTEST etiam eadem ſententia non parum confirmari ex alterâ, quam etiam docent quidam Thomiſtæ; nimirum infirmum qui cum intentione confitendi ſacerdotem ad ſe accerſiri fecit, poſſe ab illo quando aduenerit & præſens exſtiterit abſolui, etiamſi tunc omni ſenſu careat vt nullum prorſus contritionis aut voluntatis ſuæ indicium dare poſſit; dummodo aſtantium teſtimonio ſacerdoti conſtet illum voluiſſe confiteri, & pænitentiæ ſigna oſtendiſſe. Ita præter alios infra citandos docent Didacus Nugno ſuppl. q. 9. art. 2. dubio 1. §. *ſed quid dicendũ.* Et Franciſcus Syluius ibidẽ. q. 4. Manifeſtum enim eſt, illo caſu confeſſionem qualis ad huius ſacramenti ſubſtantiam ſufficit, fieri ſacerdoti abſenti per nuntium ſeu per teſtes.

Didacus Nugno. Franciſcus Syluius.

Porrò doctrinam illam veram eſſe non vno modo conantur oſtendere recentiores Theologi. Primo ex Concilijs Arauſicano & Carthaginẽſi 3. & 4. Arauſicani cap. 11. verba ſunt, *Subito obmuteſcens (pro vt ſtatutũ eſt) baptizari aut pænitentiam accipere poteſt ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorũ verbis habeat aut præſentis in ſuo nutu.* Carthaginẽſe vero 3. cap. 34. *ſtatuit vt ægrotantes, ſi pro ſe reſpondere non poſſunt, cum voluntatis eorum teſtimonium ſui dixerint baptizentur. ſimiliter & de pænitentibus agen-*

Conc. Arauſic.

Carthaginenſe 3. & 4.

agendũ eſt. Item Carthaginenſe 4. cui ducenti quatuordecim Epiſcopi interfuerunt & inter eos S. Auguſt. cap. 76. hæc habet. *Is qui pænitẽtiam in infirmitate petit, ſi caſu dum ad eum ſacerdos inuitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit vel in phreneſim verſus fuerit: dent teſtimonium qui eum audierunt, & accipiat pænitentiam; &, ſi continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia*. quæ verba refert etiam Sanctus Thomas 3. p. q. 80. art. 9.

Secundo, idem oſtendunt ex Sanctis Patribus, præſertim Leone & Auguſtino; Ille enim epiſtola 91. ad Theodorũ ita ſcribit. *His qui in periculi vrgentis inſtantiâ, præſidium pænitentiæ & mox reconciliationis implorant; nec actio illis pænitentiæ, nec communionis gratia denegetur, ſi eam, etiam amiſſo vocis officio, per indicium integri ſenſus quærere comprobentur: quod ſi aliquâ vi ægritudinis ita fuerint aggrauati vt quod paulo ante poſcebãt, ſub præſentiâ ſacerdotis ſignificare non valeant; teſtimonia illis fidelium circumſtantium prodeſſe debebunt, vt ſimul & pænitentiæ & reconciliationis beneficium conſequantur.* *S. Leo.*

Auguſtinus vero libro 1. de adulterinis coniugijs cap. vltimo ſic ait, *Ego non ſolum alios Cathecumenos, verum etiam ipſos qui viuentium coniugijs copulati, retinent adulterina conſortia, cum ſaluos corpore, in his permanentes, non admittamus ad baptiſmum; tamen ſi deſperati & intra ſe pænitentes iacuerint, nec pro ſe reſpondere potuerint, baptizandos puto vt etiam hoc peccatum cum cæteris lauacro regenerationis abluatur. Quis enim nouit vtrum fortaſſis adulterinæ carnis ille-* *S. Auguſtinus.*

 cebra

cebrâ vſque ad baptiſmum ſtatuerant detineri? & paulò pòſt. *Quæ autem baptiſmatis hæc reconciliationis eſt cauſa, ſi forte pænitentem finiendæ vitæ periculum præoccupauerit; nec ipſos enim ex hac vitâ ſine arrhâ ſuæ pacis exire velle debet mater Eccleſia.* Hæc Auguſtinus.

Clemens octauus. Tertiò, Clemens 8. interrogatus an moribundus de quo in propoſito nobis eſt ſermo, deberet ſacramentaliter abſolui. Reſpondit debere abſolui, & ſe eum abſoluturum: atque huius reſponſionis teſtes ſunt Illuſtriſſimi Bellarminus Cardinalis, & Petrus Lombardus Archiepiſcopus Armacanus; qui Patribus Franciſco Flerontino & Leonardo Leſſio è Societate IESV, hoc ipſum retulerunt; & Armacanus quidem eâ de re ſcriptum teſtimonium manu ſuâ ſubſignatum eis dedit, & poſtea ſimile miſit Louanium ad aliquos illius Academiæ doctores, vt ſcribit Coninck de pænitentiâ, diſput.7. dub.10. in fine; ſed verba teſtimonij non adfert.

Quartò, probatur ratione, quia eiuſmodi confeſſio non plus incommodi vel abſurdi habet quam confeſsio per interpretem: ergo eſt ſufficiens & licita. Antecedens patet, quia cum infirmus ſigna contritionis coràm teſtibus oſtendit, virtualiter & interpretatiuè voluit vt ſi ipſe per ſe non poſſet, illi eius vice, aduenienti ſacerdoti ſuam voluntatem exponerent, ergo.

Quintò hæc ſententia, propter argumenta facta vt minimum eſt probabilis; ergo tutò poteſt deduci in praxim ab ijs qui ita ſenſerint; imo licet quis alteram veriſimiliorem putet, tenetur

netur reipſâ ſecundum hanc agere; quia, vt morientis ſaluti conſulat tenetur ex charitate, imo etiam ex iuſtitiâ (ſi ſit proprius eius ſacerdos) ſequi opinionem probabilem, & conſequenter eum abſoluere. Vnde vlterius infertur idem abſolutè dicendum eſſe de confeſsione, quę fit per litteras vel internuntium ſacerdoti abſenti & non valenti adeſſe.

Sexto. In conſtitutionibus Synodalibus Diœceſis Viſēſis in Luſitaniâ editis anno *1617.* ſub Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. Ioanne Emmanuële Episc. lib. *1.* tit. *5.* conſt. *2.* num. *10.* Doctrina de Sacramentaliter abſoluendo eo, qui moritur nec vllũ doloris indicium dare poteſt, dum tamen accedat teſtimonium adſtantium, à parochis omnibus exercēda præcipitur, ergo.

Cōfirmatur ex Manuali Romano, iuſſu Pauli Quinti edito, in materiâ de Sacramento Pœnitentiæ, vbi habet hæc verba: *Quod ſi inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægrum deficiat; nutibus & ſignis conetur, quoad eius fieri poterit peccata pœnitentis cognoſcere: quibus vtcumque vel in genere vel in ſpecie cognitis, vel etiam ſi Confitendi deſiderium ſiue per ſe ſiue per alios oſtenderit, abſoluendus eſt.* Cuius doctrinæ poſtrema verba (*ſi confitendi deſiderium ſiue per ſe ſiue per alios oſtenderit*) meritò ſunt notanda. In his ſiquidem videtur contineri ſententia eorum qui docent, infirmum qui vi morbi oppreſſus obmutuerit, prout in propoſito agimus, poſſe ac debere à ſacerdote ſacramentaliter abſolui.

CAPVT

CAPVT III.

Adfertur germana ſententia ſancti Thomæ, & Thomiſtarum.

4. NIHILOMINVS communis Theologorum ſententia eſt, confeſſionem non ita fieri poſſe ſacerdoti abſenti, vt verum Sacramentum inter abſentes conſummetur. Ita in primis conſtanter docuerunt Thomiſtę. Caietanus in ſummâ, verbo confeſſio, conditione 11. Franciſcus Victoria in ſummâ de Confeſſione, numero 171. Sotus in 4. diſt. 18. q. 2. art. 6. Martinus de Ledeſma 2. parte 4. q. 9. art. 3. dub. 1. Melchior Cano relectione de pænitentiâ, parte 6. §. *mihi autem hæc opinio*. Didacus Nugno ſuppl. q. 9. artic. 3. Franciſcus D'auila ſpeciali quæſtione hac de re editâ Romæ. Petrus de Ledeſma tractatu de confeſſione cap. 21. dub. 2. Ioannes Baptiſta Corradus in opere reſpõſionum ad quadringenta dubia quæſtione 14. & 68. Eandem ſententiam vel in ſcholis diligenter explicarunt vel in diſputationibus acriter defenderunt omnes paſſim ex eâdem ſcholâ & Ordine Prædicatorum Doctores & Lectores.

Caiet. Victoria. Dominic. Soto. Mart. Ledeſma. Cano. Nugno. Frãciſcus Auila. Petrus Ledeſma. Ioannes Baptiſta Corradus.

Quod ad Sanctum Thomam & antiquos Thomiſtas attinet, Franciſcus Suarez de pænitentia diſput. 19. ſectione 3, duo dicit. Prius eſt, ſententiam quæ negat ſacramentum hoc conſummari inter abſentes, etiam ſi extrema ne-

ceſſitas adueniat, & conſequenter ſacerdotem non poſſe abſoluere niſi quem præſentem habet, communiter tribui Diuo Thomæ; ſe tamen apud eum non inuenire, cum potius in quodam quodlibeto doceat confeſſionem fieri per ſcripturam; quamuis de abſolutione nihil dicat. Poſtea ſubiungit Sanctum Thomam huic ſententiæ fauere in 4. loco proximè citato. Poſterius eſt, ſe ante Clementis 8. decretum non auſum fuiſſe ferre aliam cenſuram contra primam opinionem initio relatam, præter eam quæ ex aſſertione ſumitur, ſcilicet eſſe falſam, idque præcipuè propter Thomiſtarum auctoritatem antiquorum. Similiter Coninck tomo 2. de Sacramentis diſput. 4. dub. 10. ita habet. *Olim liberiùs licuit eâ de re diſputare: quare plurimi, præſertim Thomiſtæ, affirmarunt abſentem validè poſſe abſolui.* Et poſtquam aliquos noſtrûm retulit, concludit: *Quare videtur hæc ſententia olim fuiſſe valde communis inter Thomiſtas.* In quibus auctoribus aduerto eos ex fide & ingenuè non ſcribere, ſed arte quâdam contendere vt Thomiſtis damnatam à Clemente opinionem imponant, quæ tamen eſt ſuorum, quorum nullos citant; contra quos à noſtris ſollicitata & obtenta fuit definitio.

Suarez. Coninck.

5. Vt ergo tota res ex fide referatur, certum in primis eſt Sanctum Thomam ſenſiſſe non poſſe validè aliquem ſacerdoti abſenti confiteri aut ab eo ſacramentaliter abſolui: licet enim in terminis quæſtionem illam non tractet, in 4. tamen diſt. 17. q. 3. art. 4. quæſtiuncula 3. apertè ſuam mentem explicat. cum enim argumento 3. ſibi obieciſſet interdum accidere

Digitized by Google

vt ſacerdos ſit abſens, cui non niſi per litteras poſsit fieri confeſsio, atque ex eo inferat, eo pacto faciendam eſſe: Reſpondet, *debere eo caſu pænitentem potius confiteri laico præſenti, quam per litteras ſacerdoti abſenti:* ergo ſentit modum illum confeſsionis non eſſe validum in ratione ſacramenti; alioqui, quando vrget neceſsitas multò conſultiùs eſſet confiteri ſacerdoti abſenti quædam peccata, ex quorum manifeſtatione (ſi ſcilicet litteræ perderentur) non pareretur grauis infamia, & verum ſuſciperetur ſacramentum. Præterea ratio quam ibi aſsignat hoc ipſum clarè oſtendit: ait enim, *quia plus pertinet ad neceſſitatem confeſſionis, actus; quam ille cui ſit confeſſio.* Hoc enim verum non eſt de confeſsione ſacramentali; quia licet ipſe actus confitendi ſit omnino neceſſarius ad efficiendum ſacramentum, tamen abſolutio ſacerdotis eſt præcipua & magis neceſſaria. Vult ergo Sanctus Thomas, ad confeſsionem non ſacramentalem, quę fit ad humiliationem ſeu mortificationem ſeu verecundiam pænitentis, magis pertinere actum ipſum quam perſonam cui fit; & quia confeſsio fit ſacerdoti abſenti abſq; magnâ verecundiâ, fit autem laico præſenti cum maiore rubore & mortificatione; docet potiùs confitendum huic quàm illi.

Expenditur doctrina S. Thomæ.

Adde quod idem docet Angelicus Doctor ibidem art. 3. quæſtiunculâ 2. ad 1. in hæc verba. *Quando neceſſitas imminet; debet facere pænitens quod ex parte ſuâ eſt, ſcilicet conteri & confiteri cui poteſt; quia quamuis ſacramentum perficere non poſſit vt faciat id quod eſt ex parte ſacerdotis,*

dotis, abſolutionem ſcilicet; tamen defectum ſacerdotis ſummus ſacerdos ſupplet. Sanè ſi hæc vera ſunt, poſsitque securè pænitens ad ſacerdotem abſentem ſua peccata ſcripto tranſmittere à quo ſacramentaliter abſolueretur; non faceret quod eſt ex parte ſuâ, confitendo laico; quia non confiteretur cui poteſt, poteſt enim ſacerdoti per litteras. Quid quodlibeto 1. art. 10. voluerit, Lector facile aduertet non aliud velle quam licitam eſſe confeſsionem quæ fit per ſcripturam in præſentia ſacerdotis; vt nos ſupra declarauimus.

De veteribus Thomiſtis, certum primò eſt, eos nonnullas opiniones tenuiſſe, quæ quod doctrinæ Sancti Thomæ & veritati non eſſent ſatis conſentaneæ, noſtrorum ſtudio & diligentiâ fuerunt obſoletæ. Vt autem eas docerent, fiebat partim quia carebant vel integris vel correctis operibus Sancti Thomæ; neque incerta à certis, vitio quidem ſcriptorum, ſatis dignoſcebantur: partim quia opiniones illæ erant tunc receptæ in ſcholis; vt mirũ nõ eſſet ſi eorum aliqui primam huius quæſtionis opinionẽ docuiſſent. Sed in particulari dicendum eſt, Paludanũ, qui primus inter Thomiſtas citatur in eandem ſentẽtiam, nunquam exiſtimaſſe confeſsionem quæ fit ſacerdoti abſenti, eſſe ſacramentalem. etſi enim dicat poſſe ſic fieri in neceſsitate: ſubdit tamẽ, *quod tunc valet abſolutio plus quã ſi confeſſio fieret laico*. Qui modus loquẽdi niſi abſurdus ſit & minimo quidẽ Theologo indignus, clarè oſtẽdit illo caſu nõ cõfici ſacramentũ; ſed tamẽ alioqui vtilius eſſe pęnitẽti cõfiteri ſacerdoti abſenti, quã laico præ-

6. *Vindicãtur veteres Thomiſtæ.*

Paludanus.

præſenti; quia licet ſacramentaliter non abſoluat, eius tamen abſolutio, quatenus quædam deprecatio, eſt ſanctior deprecatione laici. & præterea, quia is etiam abſens poteſt abſoluere à cenſurâ, à quâ non poteſt laicus.

Sanè quemadmodum ineptè diceretur à Theologo, confeſſionem vtiliùs fieri ſacerdoti præſenti & ſacramentum conſummanti, quam laico: quia inter illas confeſſiones nec in ratione ſacramenti, nec in virtute remittendi peccata, poteſt eſſe vlla comparatio; ita abſurdè diceretur, confeſſionem quæ cum fit ſacerdoti abſenti, ſit verè ſacramentum; præſtare illi quæ fit laico, & ſacramentum non eſt. Excluſâ ergo ratione ſacramenti à confeſſione quæ fit in abſentiâ ſacerdotis, comparatio Paludani locum habet inter illos duos modos confitendi, in ratione vtilitatis; & vnum altero dicit vtiliorem eſſe, ob cauſam priùs dictam. *S. Antoninus.* Sanctus Antoninus refert dumtaxat opinionem Paludani, dicitque conſulendum nõ eſſe vt cõfeſſio ita fiat. quò ſignificat ſe eam non ſequi. Quod verò 12. cap. eiuſdem tituli, dicit; certum eſt intuenti, eum ex aliorum ſententiâ loqui, illorum ſcilicet quos refert in Concilio Baſileenſi aliquid ſimile opinatos fuiſſe. de quo infra.

Syluester. Syluester ſententiam Sancti Thomæ affert, quam proculdubio ſequitur; poſtea verò recitat opinionem Paludani, quam dicit non eſſe conſulendam. Verba eius ſunt. *Qui* (loquitur de Sancto Thoma) *intendit quod per ſcripturam poteſt quis ſupplere defectum linguæ, non defectum abſentiæ ſacerdotis; dicit tamen*

Petrus

Digitized by Google

Petrus de Palude, quod vbi præſentiam ſacerdotis habere non poteſt quis, licet non teneatur confiteri ſcripto, hoc tamen poteſt; & ſacerdos ſimiliter ſcripto abſoluere: licet hoc nō ſit multū conſulendū.

Turrecremata cap. Quem pænitet de pænitentiâ diſt. 1. art. 2. loquitur etiam ex Paludano, & ſequitur Richardum quatenus dicit eiuſmodi confeſſionem fore opus ſupererogationis. quod non eſt dicere fore ſacramentalem, ſed fore in aliquo caſu conuenientem, & aliqualiter vtilem; quo pacto confeſſio facta laico eſt opus ſupererogationis, & non ſacramentum. Bartholomæus Fumi dicens confeſſionem poſſe fieri per interpretem, nuntium vel ſcripturam; cum proportione intelligendus eſt; vt quæ fit 1. & 3. modo, ſit ſacramentalis, ſecus vero quæ fit 2. modo. citat enim Caietanum, quem conſtat docuiſſe nullum ſacramentum perfici inter abſentes. *Turrecremata.* *Barthol. Fumi.*

Raynerius Piſanus 1. parte pātheologiæ tractatu de cōfeſſione, cap. 9. non aliud dicit, quā, quòd extra caſum neceſſitatis, nulli habenti vſum ſenſuum & copiam ſacerdotis, ſufficit confiteri per nuntium vel ſcriptum. quo ſenſu poterat addere quod neque ſufficit confiteri laico, hoc enim verum eſt: ſed inde non fit eiuſmodi confeſſionem eſſe ſacramentalem; ſed, quod defectu ſacramentalis ſufficeret, ſicut ſufficit illa quæ fit laico: Petrum de Tarantaſiâ citat Nugno pro contrariâ ſententiâ quæ eſt ſancti Thomæ. Supereſt ergo ſolus Petrus de Soto qui neque Paludani neque aliorum verba & ſententiam ſatis expendit. *B. Raynerius Piſanus.* *Petrus de Tarantaſiâ.*

Ex his fit manifeſtum, auctores relatos do-

ctrinam ſuam, ab opinione tamen damnatâ longè diuerſam, ex vno Paludano hauſiſſe ac deſcripſiſſe, proinde non plus etiam voluiſſe quam ille voluerit; maximè cum hoc ipſum ſcribant conſulendum non eſſe. vnde vlteriùs infertur, falsò dixiſſe Suarez & Coninck, priorem ſententiam fuiſſe olim valde communem inter Thomiſtas; tum quia (vt oſtendi) nunquã eam docuerunt ſed aliam; tum quia neque ipſa Paludani ſententia poteſt dici communis inter Thomiſtas; cum plerique ex adductis non cõſentiant; & ipſemet Coninck ad lectorẽ initio ſuis operis ſcribit, ſententiã non poſſe dici cõmunẽ quam plurimi alter ex altero deſcribunt, ſed quam ſuis vtrimq; momentis libratã, docti aliqui maturo complectuntur iudicio, firmiſq; rationibus ſtabiliunt. Quod idem priùs dixerat Nauarr. Manualis c. 27. num. 289.

7. Quare neque antiquorum Thomiſtarum opinio cenſuram vnquam meruit, ne quidem falſitatis, pro vt contendit Suarez; neque eos vlla ex parte tangit Clementis definitio; ſed aduerſus illos facta eſt, qui tempore eiuſdem Pontificis ſentiebant, docebantque, tum in ſuis ipſorum priuatis Gymnaſijs, tum pro ſuggeſtu concionabantur, etiam abſque vllâ limitatione ad tempus extremæ neceſſitatis, ſacramentum pænitentiæ validè & licitè perfici inter abſentes. Pauci quidem eam typis mandarunt, quia ob ſui nouitatem & abſurditatem continuò omnibus doctis diſplicuit, à quibus fuit exploſa, & ad ſedem Apoſtolicam delata: erat tamen communis inter recentiores quoſdam; & eam typis commiſit Pater Emmanuel Saà,

Emmanuel Saà.

Saà, vt patet tum ex prioribus tum ex editione Pariſienſi anni 1600. apud Petrum Cheualier è regione Sancti Hilarij. paginâ enim 88. ſic habet: *Non licere abſenti per nuntium aut per ſcriptum confiteri, quidam aiunt: Ego cum illis ſentio qui & id concedunt, & poſſe abſentem etiam per ſcriptum abſolui aut per internuntium.* & paginâ 10. prius ſic dixerat; *Abſolui poſſe abſentem, alij aiunt alij negant: ego puto poſſe cùm cauſa ſubeſt.* Scio Aphoriſmos illos antidoto veritatis purgatos fuiſſe tum hac in re tum in alijs; &, ſententiâ illâ ſublatâ, veram eſſe ſubſtitutam; ita tamen ſcripſit ante Clementis decretum; vt propterea falsò citetur à Suarez pro ſententiâ contrariâ. ſcripſit etiam pro illâ opinione Henricus Henriquez, cuius ſumma moralis ideo alijſque de cauſis, donec emendaretur, ſuſpenſa fuit; quod teſtatur Ioannes Baptiſta Poſſeuinus Archipræſbyter Mantuanus libro de officio curati cap. 15. *Henricus Hẽriquez.*

CAPVT IIII.

Probatur eadem ſententia.

PORRÒ præter Doctores ex noſtro Prædicatorũ Ordine ſuperiùs pro verâ ſententiâ adductos, eã quoq; alij paſſim Theologi tenuerunt vt Scotus, Gabriel, Baſſolis in 4. diſt. 17. 8. *Cõmunis ſententia probatur.*

Ad quã confirmandã variæ ſolent adferri rationes. Primò quidẽ, eam probat Canus, quia gratia quæ eſt effectus ſacramenti, non poteſt cõferri perſonæ abſenti: ergo hoc ſacramentũ, *Prima ratio Cani.*

 quod

quod potiſſimè inſtitutum eſt vt gratiam ſanantem & iuſtificantem conferat, non poteſt inter abſentes perfici. Conſeq. eſt manifeſta. Antecedens dupliciter oſtenditur, 1. quia quemadmodum collatio ſacramenti eſt actio perſonalis, ita eius receptio eſt paſſio perſonalis. 2. quia alioqui euenire poſſet vt quis dormiẽs iuſtificaretur aut peccaret indignè ſuſcipiẽdo ſacramentũ. quod eſt abſurdũ. Hac ratione vtũtur loquẽdo de matrimonio per procuratores & inter abſentes contracto, Caietanus opuſculo citato de matrimonio quæſt. 1. Durãdus in 4. diſt. 26. art. 3. Martinus de Ledeſma 2. parte 4. q. 84. ad 8. Victoria in ſumma, & alij.

Caiet. *Durãdus.* *Mart. Ledeſma.* *Victoria.* *Reijcitur.*

Hæc tamen ratio non eſt efficax, & in materiâ de matrimonio, communiter ſoluitur à Theologis. Fundamentum enim illud quod aſſumit, nullum ſacramentum poſſe ſuſcipi in abſentiâ, cum generale ſit, non eſt omnibus certum, & iuxta ſatis receptam multorũ Theologorum doctrinam, habet inſtantiam in matrimonio quod per procuratores contractum veram habet rationem ſacramenti. Vnde quidquid ſit de veritate illius doctrinæ; in propoſito, cum multis negatur antecedens: ad cuius primam probationem, Reſpondetur actionem ſeu receptionem ſacramenti eſſe perſonalem, eo ſenſu, vt nulla perſona præter eas inter quas fit ſacramentum illud efficiat aut recipiat; & ſic generaliter verum eſt. neque enim matrimonium in quo interuenit opera procuratorum fit nec recipitur niſi à contrahentibus. Et, ſi ſacramentum pænitentiæ inter abſentes conſummaretur, nullus præter ſacerdotem

tem abſolueret nec quiſpiam præter pænitentem confiteretur aut abſolueretur, licet adhiberetur tertiæ perſonæ miniſterium. Ad ſecundam probationem, Nihil abſurdi eſt quempiam dormientem iuſtificari ratione diſpoſitionis priùs habitæ: vt patet in eo qui volens baptizari, baptizatur dormiens. ſimiliter in dormiente completur peccatum, quod commiſit quando in vigiliâ aduertit vel aduertere debuit ſe in periculo eſſe indignè ſuſcipiendi ſacramentum.

2. Eandem ſententiam probat Canus, quia abſens non confitetur internuncio, nec internuncius ſacerdoti: ergo nulla eſt ibi confeſſio ſacramentalis. Sed neque hoc argumentum quidquam valet; negatur enim conſequentia; quia quemadmodum ad ſimilem diſcurſum de confeſſione per interpretem, dicitur, hîc etiam dici poſſet, pænitentem confiteri ſacerdoti, ſed per internuncium: ſicut neque ipſe procurator contrahit, ſed per illum is cuius eſt procurator. *2. ratio eiuſdẽ Cani confutatur.*

Tertia ratio ſumitur ex verbis formæ in quâ pronomen (te) denotat eam omnino dirigi ad perſonam præſentem, quæ illo pronomine demonſtratur. cum enim ad ſubſtantiam ſacramenti neceſſarium ſit formam eſſe veram, & abſens nullâ ratione demonſtrari poſſit; non poteſt forma abſolutionis ad illum cum veritate dirigi. Declaratur hoc in alijs ſacramentis, in quorum formis ſunt eiuſmodi pronomina demonſtratiua. Ideo enim abſens baptizari non poteſt, quod vnanimiter docent Theologi, quia forma Baptiſmi eſt hæc, *Ego te* *3. ratio ex verbis formæ.*

baptizo; neque panis aut vinum abſens conſecrari poteſt, quia in forma conſecrationis vtriuſque ſpeciei ſunt ſigna demonſtratiua, *(hoc)* & *(hic.)* Idem eſt in Confirmatione, *Signo te ſigno crucis, &c.* & in Extrema vnctione, *Per iſtam ſanctam vnctionem*. Hanc rationem pro communi ſententiâ præcipuam eſſe exiſtimat Franciſcus Suarez, diſput. 9. ſupra: niſi tamen aliquid addatur, & magis explicetur; ſentio efficacem non eſſe, eiuſque fundamentum dupliciter poſſe euerti. Primò, quia per verba illa, *Ego te abſoluo,* poteſt aliquis abſens abſolui ab excommunicatione, vt omnes fatentur: ergo verè poſſunt dirigi ad abſentem; niſi enim tunc vera eſſent, non conſequerentur effectum. Secundò, pronomen *(te)* non eſt neceſſarium in hâc formâ, vt, demonſtret præſentem; ſed dumtaxat vt determinet perſonam quæ abſoluitur; vt ſcilicet peccati remiſſio quæ fit per formam, ſignificetur practicè & in particulari declarando cui fiat: atqui ſi verba prædicta diriguntur ad abſentem; habent omnem ſignificationem huic ſacramento & eius effectui neceſſariâm: quia is cui fit remiſſio peccati ſeu qui abſoluitur, ſatis determinatè ſignificatur: & hinc fit, ad formam & ſubſtantiam huius ſacramenti ſufficere verba illa, *Abſoluitur Petrus à peccatis*. vel hæc; *abſoluo Petrum à peccatis*. Vt fatetur ipſe Suarez eâdem diſputatione ſectione 1. nume. 24.

9. *Aliquid ei deeſt vt ſit efficax.* Sentio ergo rationem adductam magis explicandam eſſe, & aliquid ei addendum, vt in propoſito conuincat: quod fiet infra. Quod dicitur

citur de alijs Sacramentis, non iuuat ad propoſitum. in ijs enim requiritur præſentia ratione actionis importatæ vel ſignificatæ: vt ablutionis, & vnctionis; vel ratione demonſtrationis quâ certò certiùs præſentia rei demonſtratur, vt in Euchariſtiâ: quæ hic non ſunt.

4. Arguitur. Nullum iudicium inter homines, niſi ridiculè, exerceri poteſt, niſi in toto eius progreſſu, aliquis ſaltem eorum qui ad inſtructionem cauſæ ſunt neceſſarij, ſit aliquando præſens Iudici, ſcilicet vt vel accuſator præſens crimen deferat, vel teſtes in præſentiâ deponant, vel tandem reus impoſitum crimen præſens confiteatur; neque enim iudicium quod aliter fieret, haberet aliquam ſpeciem æquitatis, ſed plura pareret incommoda, præſertim in criminalibus: ergo in hoc iudicio, quod eſt ſapientiſſimè inſtitutum, requiritur eiuſmodi præſentia. cum autem hîc idem ſit accuſator, teſtis, & reus, ideóq; eius actus ſit accuſatio, teſtificatio & confeſſio: ſequitur talem actum neceſſariò fieri in præſentiâ ſacerdotis. *4. ratio.*

Sed & ad hoc argumentum dici poteſt, diuerſam eſſe rationem ac proinde non ſequi; Cum enim iudicia humana nō ſint fauorabilia reo, ſed odioſa, vt qui nollet accuſari, vel teſtes contra ſe audiri; vt æquitas ſeruetur tollaturque omnis occaſio irrogandæ iniuriæ, cum fauor legis habeat *reo potius fauendum eſſe quam actori:* nihil mirum ſi vel accuſatoris vel teſtium præſentia requiratur: at verò hoc iudicium eſt fauorabile reo, & ipſi maxime optabile; quare ad veritatem facti habendam non opus eſt aliquo ſtrepitu iuris, ſed *Improbatur.*

ipſi ſimpliciter credendum eſt, ſiue pro ſe, ſiue contra ſe dicenti, cum ipſe ſimul ſit reus, accuſator, & teſtis: ergo non requiritur præſentia ſicut in alijs iudicijs, quia etiam abſens poteſt ſcripto veritatem nudè & ſimpliciter declarare.

10. 5. Ergo Argumentor. In hoc ſacramento fit reconciliatio peccatoris cum Deo, quæ per illius confeſſionem petitur; & per ſacerdotis abſolutionem fit; atqui ſacerdos non poteſt quempiam Deo reconciliare, niſi ad id diſpoſitum & qui in deteſtatione peccati & in conuerſione ad Deum permaneat ad ipſum vſque tempus quo peccata remittenda ſunt; nequit autem de eiuſmodi diſpoſitione ad effectum ſacramenti neceſſariâ certus eſſe, niſi præſentem habeat pænitentem; ergo non poteſt abſoluere niſi præſentem. Declaratur, quemadmodum contritio vel attritio ad valorem ſacramenti ſufficiens, poteſt haberi in inſtanti; ita voluntas in inſtanti poteſt mutari & peccare, reconciliatio autem fieri non poteſt voluntate per peccatum mutatâ & à Deo auerſâ: ergo ſacerdos non poteſt abſoluere niſi quem certò ſciat priorem voluntatem non mutaſſe. atqui id non poteſt ſcire in abſentiâ, cum homo ſingulis momentis aliter atque aliter ſe habere poſſit.

5. ratio efficax.

Cum voluntas in inſtanti mutari poſſit, Sacerdos debet eſſe certus de præsēti diſpoſitione pænitentis.

Confirmatur. In omni iudicio debet conſtare de reo & crimine; atqui in abſentiâ Petri (verbi gratiâ) qui per litteras nudiuſtertiùs ſcriptas eſt confeſſus, hodie cum abſolutio dari debet, quæ eſt iudicialis ſententia, non poteſt conſtare de reo: ergo. Minor probatur,

Non

Digitized by Google

Non enim conſtat Petrum adhuc eſſe diſpoſitum & voluntatem per nouum peccatum non mutaſſe: quod ſi feciſſet: neque eſſet accuſator neque teſtis, neque reus: ac proinde nullum iudicium.

Huic rationi quid reſponderi poſſit non video, niſi fortaſſe certitudinem moralem quæ ad rectam huius ſacramenti adminiſtrationem, ſufficit, poſſe haberi per litteras vel internuncium: quemadmodum haberi poteſt in matrimonio contracto per procuratores, & alijs contractibus humanis; imo neque maior habetur in confeſſione quæ fit per interpretem. Adde, eiuſmodi certitudinem de habitâ contritione, ſufficere vt ſacerdos conſcius peccati mortalis, non habens copiam confeſſoris, poſſit celebrare. neque enim in huiuſmodi requiritur omnimoda & phyſica certitudo, quâ firmo & immutabili aſſenſu alicui rei adhæremus. Verùm hæc reſponſio non ſatisfacit; licet enim ad hoc ſacramentum non requiratur certitudo maior morali, quæ ſumitur ex coniecturis; nihilominus ne illa quidem in propoſito haberi poteſt; quia coniecturę omnes quæ interuenire poſſunt, (verbi gratiâ) confeſſio ante biduum ſcripta, vel internuncij relatio, aut teſtificatio, non plus ſignificant quam Petrum tali tempore, videlicet heri aut nudiuſtertiùs, fuiſſe diſpoſitum habuiſſeque voluntatem reconciliandi ſe Deo per huius ſacramenti ſuſceptionem. at verò ex illis colligi non poteſt, priorem illam voluntatem & diſpoſitionem etiamnum remanere: cum neque internuncius ipſe id aſſerere poſſit. vnde relin-

Solutio cõtrariorum refellitur.

Ex litteris ſcriptis pridie, aut nuncio tũc miſſo non fit Sacerdos moraliter certus per ſe lo-

quendo de præſēti diſpoſitione confitētis.

relinquitur in ſacerdote mera dubitatio & anxietas, quæ ad abſoluendum non ſufficit.

Confutatur præterea reſponſio illa; quia cum per ſe, & regulariter loquendo, neque internuncius eiuſue probitas, neque ſcribentis ſtylus, confeſſario ſint cognita; poſſintque notabiles & ſubſtantiales defectus euenire vel ob ignorantiam confitentis; vel ob labilem memoriam internuncij, qui vnum pro alio referre poteſt, non eſt vllo pacto concedendum per litteras aut internuncium ſacerdotem fieri moraliter certum de ſufficiente diſpoſitione ſcribentis, etiam pro tempore quo ſcripſit. Exempla vero adducta nihil pro reſponſione illâ faciunt: In duobus enim poſterioribus requiritur certitudo moralis de præſenti diſpoſitione, quæ pro tunc per coniecturas ſufficientes ſignificari debet; vnde confeſſarius cognoſcens probitatem interpretis, videnſque pænitentem annuere & contritionis ſigna adiungere, humanam & moralem certitudinem habet eum reuera peccata ſibi dicta, commiſiſſe, atque ab illis velle abſolui, quæ hîc & nunc ſufficienter videtur deteſtari & clauibus Eccleſiæ ſubijcere. Maior certitudo eſt in altero caſu; is enim qui abſque confeſſione celebrat defectu confeſſarij, quantum humano modo fieri poteſt, nouit quantum & quâ ratione peccatum, cuius conſcius eſt, deteſtetur. De matrimonio illud eſt ſpeciale, quod, cum ſit contractus quidam, ad eius valorem ſufficiat quod ſufficit ad ſubſtantiam contractus. vnde ad illud non requiritur maior certitudo quàm

Reſpondetur ad obiecta in ſolutione contrariorum.

Digitized by Google

do quàm ad alios contractus, ad quos debent interuenire coniecturæ ſufficientes quæ pariant humanam ſeu moralem certitudinem de præſenti affectu contrahentium, etiam eius qui procuratorem miſit; quod ſcilicet de prioris voluntatis reuocatione non conſtet, quam alioqui debere conſtare ipſi procuratori, ex communi regulâ iuris quæ iubet procuratorem conſtitutum ad negotium, certiorem faciendum eſſe de reuocatione. Digeſt. cap. Finali tradunt non pauci Doctores: quamquam alij putent id non requiri in matrimonio. de quo vide Sanches ita docentem libro 2. de matr. diſpu. numero 6. in vtrâque autem ſententiâ requiritur certitudo moralis de præſenti contrahentium voluntate, quâ deficiente non poteſt matrimonium firmum haberi. *Sanches.*

Ex diſcurſu huius argumenti infertur, verba ſacerdotis determinare perſonam cui fit abſolutio, non quomodocumque ſed vt nunc clauibus Eccleſiæ ſubiectam, & ad ſacramenti valorem ſufficienter præparatam. licet enim pronomen (*te*) non demonſtret præſentiam, vt contra Suarez diximus ratione quarta; tamen determinat perſonam, non habentem pro tunc impedimentum repugnans ſubſtantiæ ſacramenti: & hinc fit vt conſequenter requiratur præſentia ad veritatem formæ; quia quamdiu peccator eſt abſens, ſacerdos neque de eius diſpoſitione eſt certus, neque poteſt determinare perſonam vt affectam eiuſmodi diſpoſitione. quod ſi obſeruetur, facile eſt oſtēdere quartam rationem *Verba abſolutionis determinant perſonam cōfitentis & eius diſpoſitionem.*

ſupra factam, ad hunc ſenſum, efficacem eſſe. Porrò diſpoſitionem dictam determinari vnà cum perſonâ, per verba ſacerdotis; ſumi poteſt primò ex ijs quæ diximus 3. parte q. 84. art. 2. dub. 4. vbi docuimus formam huius ſacramenti ad ſui veritatem ſemper ſupponere aliquas conditiones ex parte ſuſcipientis, ac præcipuè illam, ſi ſit legitimè diſpoſitus. quod etiam docent Suarez ſupra num. 2. Coninck diſp. 4. citatâ num. 55. & communiter alij. 2. Iudicialis ſententia, etiam illa quæ fertur in probatum nocentem cum ſit innocens, non ſolùm determinat perſonam ipſam, ſed vt ex allegationibus nocentem: ergo, à fortiori, verba abſolutionis in hoc ſacramento, dicunt ſimilem determinationem.

Ex determinatione diſpoſitionis quæ debet Sacerdoti cõſtare, infertur neceſſitas præſentiæ.

11. *6. ratio ex inſtitutione Chriſti & antiquiſſimo vſu Eccleſiæ in quãtis demũ neceſſitate.*

6. Arg. Eſtque vnicum huius ſententiæ præſidium. Quia Chriſtus Dominus ita hoc ſacramentum inſtituit, vt dumtaxat inter præſentes conſummari poſſit: quod ex antiquiſſimo Eccleſiæ vſu clarè oſtenditur. licet enim ab huius ſacramenti inſtitutione, innumeri acciderint caſus, quibus ob defectum præſentiæ ſacerdotis, periclitata eſt plurimorum ſalus, & in dies alij alijs ſuccedant ſuccedentque; & tot ac tantis periculis per confeſſionem in abſentiâ factam & abſolutionem eodem modo acceptam, obuiam iri potuiſſet: hactenus tamen fuit inauditum vt Eccleſia illo remedio vteretur; quod indicat nec debere, nec poſſe adhiberi. Ideo enim conſtans eſt Theologorum ſententia, ſimplici ſacerdoti non poſſe à ſummo Pontifice concedi poteſtatem conficiendi Chriſma; tum ob alias rationes, tum

tum quia quæcumque demùm neceſſitas ab Eccleſiæ primordijs extiterit, (exſtiterunt autem plurimæ) etſi rariſſimè conceſſum ſit vt ſimplex ſacerdos confirmaret, nunquam tamen legitur factum vt ei fieret poteſtas conſecrandi Chriſma, quod eſt materia confirmationis. Inde enim colligunt Theologi, Chriſti voluntatem eſſe vt chriſma à ſolo Epiſcopo conſecretur. Rectè ergo infertur, in propoſito, ex antiquiſſimo illo vſu eccleſiæ colligi, Chriſtum omnino voluiſſe vt hoc ſacramentum inter præſentes conſummaretur: quia vt ſcribit Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 5. *Quidquid tibi vera ratione occurrerit, id credas feciſſe Deum.* Huc etiam faciunt verba eiuſdem Auguſtini quæ adfert Gratianus de pænitentia diſt. 1. cap. quem pænitet. *Præcepit* (inquit ille) *Dominus mundandis, vt oſtenderent ora ſacerdotibus; docens corporali præſentia confitenda eſſe peccata; non per nuntium, non per ſcriptum manifeſtanda.* Quem canonem citant & ſequuntur omnes pænè Theologi antiquiores, qui huius rei meminerunt.

S. Auguſtinus Gratianus

7. Sumitur argumentum ex abſurdis quæ ex praxi contrariâ quotidie emergerent. 1. enim ſæpiùs cõtingeret ſacerdotem abſoluere eum qui non ſolùm eſſet indiſpoſitus, ſed etiã illo ipſo tempore quo pronunciaretur vel ſcriberetur abſolutio, rei nefariæ operam daret; vt diximus ſupra. 2. imo etiam accideret vt is qui abſoluitur eſſet mortuus: cum ne quidem de eius vitâ ſacerdoti conſtare poſſit. 3. quod ſtylus eſſet ſuppoſititius. 4. (quod etiam ſupra adduximus) quod internuncius hebes & dictorum

12. *7. ratio ex abſurdis.*

tum immemor, vel præcipua omitteret, vel vnum pro alio referret. 5. quod pænitens ignarus, neque à confeſſario examinari, neque ſi opus eſſet in aliud tempus remitti poſſit; ſed eo ipſo, quo quiuis idiota & peccatis longâ conſuetudine aſſuetus, confiteretur per litteras vel nuntium; nullo diſcrimine habito, deberet cenſeri ſufficienter diſpoſitus. Ex quibus nihil aliud ſequi poteſt, quam quod ſæpiſſimè, grauiſſima committerenter ſacrilegia; ſanctiſſimi huius ſacramenti ſapientiſſimè à Chriſto inſtitutus ordo euerteretur; & eximij ac maximè ſalutaris remedij loco, inijcerentur laquei animabus, & magnâ crudelitate in mille ſalutis pericula adducerentur. Sed quo fine id vel docuerint, vel ſuam illam ſententiam in praxim vocare ſtuduerint Theologi quidam; ipſi viderint, ſimulque quanto conſultius fuiſſet antiquorum Thomiſtarum doctrinam ſequi, qui cum eiuſmodi confeſſionem in abſentiâ factam, eodem prorſus haberent loco quo illam quæ in neceſſitate fit laico, videlicet neque ſacramentalem neque neceſſariam, & quę proinde careret omni periculo ſacrilegij; tamen, ob quædam alia inconuenientia, clamarunt non eſſe conſulendam.

Digitized by Google

CAPVT V.

Adſertur decretum Clementis 8. eiuſq́; interpretatio confutatur.

HÆc quæ adduximus tum argumenta tum abſurda, quæ recentiores Thomiſtæ aduerſus alteram ſententiam vix exortam, diligenter & validè oppoſuerunt, Sanctiſſimum Dominum Clementem 8. permouerunt, vt, Chriſti mentem qui hoc ſacramentum inſtituit, eiuſque adminiſtrandi modum præſcripſit, ex Petri cathedrâ dictaret atque interpretaretur ſingulari decreto; cuius hæc ſunt verba; 13.
Die 20. menſis Iunij anno à natiuitate Domini noſtri IESV *Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſecundo, in generali congregatione ſanctæ Romanæ & vniuerſalis Inquiſitionis, habitâ in Palatio Apoſtolico in monte Quirinali, coram Sanctiſſimo Domino noſtro Clemente diuinâ prouidentiâ Papa Octauo, propoſita quæſtione vtrum liceat per litteras ſeu internuncium confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere: Sanctiſſimus Dominus noſter auditis votis Patrum Theologorum, & re cum Illuſtriſſimis & Reuerendiſſimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam prauitatem generalibus inquiſitoribus, maturè ac diligenter conſideratâ; hanc propoſitionem, ſcilicet licere per litteras ſeu internuncium confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confi-*

Decretum Clementis 8.

conſiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere; ad minus vti falſam, temerariam, & ſcandaloſam damnauit ac prohibuit; præcepitque ne deinceps iſta propoſitio publicis priuatiſque lectionibus, concionibus & congreſſibus doceatur, neúe vnquam tanquam aliquo caſu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur. Quod ſi quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut etiam de eâ diſputatiuè tractauerit, niſi forſan impugnando; vel ad praxim ſeu directè vel indirectè deduxerit: præter excommunicationem latæ ſententiæ quam ipſo facto incurrat, & à quâ non poſſit præterquam in articulo mortis ab alio quâcumque etiam dignitate fulgente, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ maiori Pænitentiario, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolui: alijs etiam pœnis arbitrio infligendis ſubiaceat.

Circa quam declarationem, aduerto in propoſitione à Pontifice damnatâ, non abſque ratione poſitum eſſe illud aduerbium *(ſacramentaliter)* idque factum, vt res quæ in quæſtionem tunc vertebatur, diſtingueretur ab antiquâ quæſtione Thomiſtarum; &, quę hîc damnatur recentiorum doctrina, oſtenderetur toto cælo diuerſa à veterum diſcipulorum Sancti Thomæ ſententiâ; prout eam ex verbis Paludani declarauimus.

34. Porrò illud Clementis Octaui decretum, Theologi quidam qui illo perſtringebãtur, eo modo conati ſunt interpretari (quò ſuam opinionem aliqua ſaltem ex parte conſtanter retinerent, quam rationum momentis & Sanctæ Sedis auctoritáte preſſi, ad ſolum articulum mortis

mortis reſtrinxerant. Quocirca dixerunt propoſitionem illam: *licere per litteras ſeu internuncium confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere*; non ita à Pontifice damnari, vt vtrumque eius membrum cenſurâ notetur, ſed alterum dumtaxat; ac proinde ſupradictam declarationem volunt intelligendam eſſe, in ſenſu copulatiuo ſeu complexiuo, non vero in ſenſu diuiſiuo. Ita inter alios ſcripſit & explicauit Franciſcus Suarez tom. 4. ad 3. partem diſput. 21. ſectione 4. in fine: fundat autem ſuam illam interpretationem in tribus. 1. eſt particula *(Et)* quæ vtrumque membrum coniungit, & parit ſenſum complexiuum; nam ſi diuiſiuè loqui voluiſſet Pontifex, potiùs id explicaſſet per particulam *(vel)* 2. eſt quod Pontifex vtitur ſigno demonſtratiuo ſingulari, *hanc propoſitionem*, quod propriè denotat hypotheticam damnari per modum vnius. 3. eſt quod inter Theologos non fuerat quæſtio de ſenſu diuiſiuo, ſed de complexiuo tantùm. vnde ſolùm cenſendus eſt Pontifex declarare id de quo erat controuerſia.

Interpretatio decreti Pontificij.

Suarez.

15. *Refellitur.*

Verùm hæc interpretatio, eſt illo viro prorſus indigna; & ſatis ſuperque reijcitur ex argumentis ſupra factis, quibus oſtendimus præſentiam ad huius ſacramenti valorem neceſſariam eſſe, tam ex parte confeſſionis quam ex parte abſolutionis. ſed pręterea ſingulariter confutatur, quia vt Pontifex vtrumque membrum prædictæ propoſitionis damnaret, non poterat aptioribus verbis vti. particula enim *(&)* clarè ſignificat non ſolum priorem

 partem,

Digitized by Google

partem, ſed & poſteriorem reprobari. Fit enim ſenſus, falſum eſſe *licere per litteras vel internunciũ confeſſario abſenti ſacramentaliter confiteri*; & ſimiliter falſum eſſe *licere ab eodẽ abſente abſolutionem obtinere*, atq; adeo damnatur propoſitio illa quo ad vtramque ſui partem, non ſolum in ſenſu complexiuo, verum etiam in diuiſiuo vt ſingulæ ſeorſim ſumuntur.

Declaratur, quia ſi hypotheticã ſolùm damnaſſet Pontifex, ſeu partes illas propoſitionis vt inter ſe coniunctas, quod vult Suarez: ſequeretur neutrã partẽ ſeorſim ſumptã damnatã eſſe, aut ſaltẽ de eius falſitate non conſtaret; ac proinde, poſt prædictam declarationẽ abſq; vllâ notâ poſſet in ſcholis defendi, *licere ſacerdoti abſenti ſacramentaliter confiteri*: vel, *licere ab abſẽte abſolutionẽ obtinere*: quod eſt abſurdũ, & negatur à dicto auctore. Sequela probatur, quia licet ad falſitatẽ copulatiuæ neceſſariũ ſit & ſufficiat, alterã eius partẽ falſam eſſe, vt tradit S. Thomas in *1*. diſt. 14. q. 1. art. *1*. ad 5. tamen hoc ipſo quo propoſitio copulatiua reprobatur tanquã falſa, neutra pars in particulari & determinatè cognoſcitur falſa. ergo ex vi decreti Pontificij, quo ſcilicet ſupra dicta propoſitio hypothetica damnatur, infertur vtramq; eius partẽ damnari aut neutrã determinatè: quia ex verbis Pontificis non colligitur hanc præ illâ damnatam eſſe, ſiue enim demus priorẽ partẽ falſam eſſe, ſiue poſteriorem, declaratio Pontificis illis ipſis verbis quibus facta eſt, ſemper retinet eundẽ ſenſum, quem intendit Suarez; ergo ex ipsâ ſciri non poteſt vtra pars ſit à Pontifice damnata. Ex hoc autem

S. Thomas.

tem declaratio Pontificis ſit ridicula & omnino inſufficiens: quod aduertere debebat dictus Auctor, ſimulque particulam *(&)* tum in ſcripturis, tum in iure, tum etiam in probatis Auctoribus ſæpiſſimè vſurpari pro *(vel)* facereque diſiunctionem vt inter plurimos notat Albericus in Lexico & patet *lege cum quidam 4. Codice de verborum ſignificatione.* Ex quibus iam facilè patet nullius momenti eſſe motiua Suarez primũ & ſecundum paulò ante allata.

& ſæpius ſumitur pro vel.

Albericus.

In tertio motiuo fallitur idem ſcriptor, controuerſiam non fuiſſe inter Theologos de alterutro prædictæ propoſitionis membro, ſed ſolum de complexo ex vtroque; argumenta enim quæ pro vtrâque quæſtionis ſententiâ attulimus contrarium ſatis oſtendunt. Quod poſtremò addit ſolam opinionem de abſolutione dandâ abſenti, ab vſu Eccleſiæ alienam eſſe, non verò alteram de confeſſione abſenti faciendâ: non video cur fuerit auſus dicere, aut ex quibus hiſtorijs poſſit aliquam eâ in re Eccleſiæ praxim docere.

Quocirca prædicti auctoris interpretatio ad Apoſtolicã ſedẽ delata, & Romæ à grauiſſimis Theologis & Illuſtriſſimorũ Cardinaliũ congregatione maturè ac diligenter examinata, reprobata fuit, vt tradunt Didacus Nugno, & Syluius ſupra, & Chapeauille tractatu de Sacramẽtis miniſtrandis tẽpore peſtis cap.3. q.3. qui ſcribit ſe à Doctoribus Louanienſibus accepiſſe, Illuſtriſſimũ Cardinalẽ Bellarminum declaraſſe, mentẽ Clementis 8. fuiſſe, vtramq; ſupradictæ propoſitionis hypotheticæ partẽ, in ſenſu diuiſo, damnare: imo & Illuſtriſſimum 16.

Nugno.

Syluius.

Chapeauille.

 Archie-

Archiepiſcopum Armacanum Sancti officij tabulis Romæ conſignaſſe interpretationem illam à Sanctâ Sede reprobatam eſſe. Verba autem reprobationis cuiuſdam factæ poſt obitum Clementis ſunt hæc; *Die 14. Iulij milleſimo ſextenteſimo quinto propoſitâ cauſâ Patris Franciſci Suarez Ieſuitæ & conſideratis his quæ ſcripſit tomo 4. in 3. part. Sancti Thomæ ſect. 4. diſput. 21. interpretando decretum felicis recordationis Clementis Papæ 8. factum die 20. Iunij milleſimo ſexcenteſimo ſecundo, quo damnauit hanc propoſitionem, videlicet* licere per litteras ſeu internunciũ cõfeſſario abſenti peccata ſacramẽtaliter cõfiteri; &, ab eodẽ abſente abſolutionẽ obtinere: *ac etiam maturè diſcuſſis his quæ idem Pater Suarez adduxit in defenſionem ſuæ interpretationis: auditis votis Illuſtriſſimorum Dominorum Sanctiſſimus decreuit; dictam interpretationem ad ſupradictum decretum non ſubſiſtere; & ideo amouendam eſſe ab eius libris, iuxta decreta alias facta à felicis recordationis Clemente Papa Octauo de quibus in actis ſancti officij.*

Interpretatio decreti damnata Romæ.

Præterea paulò poſt eadem congregatio cenſuit vt ſequitur. *Sanctiſſimus decreuit ex tomo 4. Patris Suarez Ieſuitæ in 3. part. Sancti Thomæ diſput. 21. de Confeſſione, Sectionem 4. cui titulus eſt; vtrum de neceſſitate confeſſionis ſit vt pænitens ſacerdoti præſenti immediatè & per ſeipſum reuelet peccata ſua; totam eſſe amouendam, nec aliam eius loco ſubrogandam.* Vnde & in Italiâ totâ & Hiſpanijs ex nouâ inſuper commiſſione, Reuerendi Inquiſitores diligenter aduigilant, ne prædicta ſectio 4. lucem aſpiciat.

CAPVT

CAPVT VI.

Reſpondetur ad argumenta capite primo adducta.

HINC facilè ſolui poſſunt prioris ſententiæ fundamenta. Ad 1. negatur aſſumptum: cuius cum ſint plures partes, ſingularum falſitas oſtenditur. Primæ quidem, quia quidquid ſit de vi poteſtatis excellentiæ nudè conſideratæ; tamen vt erat ordinatiſſima, & per quam Chriſtus ſapientiſſimè cuncta debebat diſponere, non potuit non conuenientiſſimo modò hoc ſacramentum inſtituere; ac proinde non meliore quàm nunc inſtituerit. Quemadmodum licet potuerit Deus, communi miſeriæ hominum alijs modis qui in theſauris omnipotentiæ ſuæ latent, ſuccurrere; aduentus tamen & mors Chriſti, fuit medium ex omnibus longè præſtantiſſimum. Nulla verò inde ſequitur vel in Chriſto vel in eius poteſtate dependentia ab his aut illis conditionibus: ſicut neque in Deo, ab hoc modo nobis ſubueniendi; ſed ſolùm infertur, modum & conditiones inſtitutionis tum huius, tum aliorum ſacramentorum, prout facta eſt; habere maiorem conuenientiam cum fine à Chriſto intento. 17.

Chriſtus ordinatiſſimè ac ſapientiſſimè inſtituit Sacramẽta.

Ad probationem ſecundæ partis, reſpondetur ex dictis ſupra ratione 5. cum hoc ſacramentum ſit iudicium quoddam, in quo fit reconci-

Digitized by Google

conciliatio peccatoris cum Deo : nihil neceſſarium poſſe illi deeſſe, proinde debet ſacerdos qui iudex eſt, habere pænitentis conſcientiam exploratam : quod in abſentiâ fieri nequit . ſecus eſt de iudicijs forenſibus, in quibus præter notitiam facti, nulla diſpoſitio requiritur in reo , vt ſententia ſiue contra ipſum , ſiue pro ipſo lata, valida ſit.

Periculis per remedia oportuna occurrendũ.

Ad 3. partem eiuſdem antecedentis , dico, periclitanti aliquorum ſaluti ſubueniendum eſſe per remedia oportuna; oportunum autem non eſt, quod remedium non eſt , vt patet ex dictis ratione 6. Quartæ partis antecedens falſum eſt, alioqui neque diſpoſitio aliqua ex parte pænitentis præter enumerationem peccatorum, neque aliqua ſcientia, iuriſdictio, & prudentia , ex parte ſacerdotis eſſent neceſſaria ; ſi modus quo hoc ſacramentum rectè adminiſtrari debet , nõ ſit à Chriſto præſcriptus. licet ergo ſcripturæ adductæ non exprimant omnem modum ad huius ſacramenti ſubſtantiam neceſſarium, ex perpetuâ tamen Eccleſiæ traditione conſtat , quid in debito illius vſu, Chriſtus obſeruari voluerit: propter quod rectè Sanctus Thomas 3. parte q. 84. art. 1. docet pænitentiam quæ eſt ſacramentum illam eſſe, *quæ in Eccleſiâ agitur.*

S. Thomas.

Ad 2. negatur antecedens. materia enim huius ſacramenti eſt confeſſio & contritio ſufficienter cognita ſacerdoti, & non reuocata per nouum peccatum ; non poteſt autem quâ talis cognoſci in abſentiâ . Deinde veritas formæ quæ non ſolum perſonam pænitentis determinat, ſed & ipſam eius diſpoſitionem, vt diximus

Verba abſolutionis Sacramẽtalis ali-

ximus ratione 5. neceſſariò poſtulat vt pænitens ſit coram ſacerdote. Quia verò neque epiſtola, neque abſolutio à cenſurâ, prædictam determinationem requirunt: non mirum, ſi poſſint abſque falſitate proferri ad abſentes; forma verò ſacramenti, qua talis, non poſſit.

ter referũtur ad perſonam cui fiũt, aliter epiſtola, & abſolutio à cenſurâ.

Ad 3. Reſpondeo; longè diſparem eſſe rationem vtriuſque ſacramenti; contractus enim in quo fundatur ratio ſacramenti Matrimonij, ſecundum ſubſtantiam ſuam non eſt ex Chriſti inſtitutione, ſed eam à mundi primordio anteceſſit; neque vero Chriſtus illum immutauit, ſed dumtaxat ad ſacramenti dignitatem euexit, à quâ inter fideles ſeiungi non poſſet. vt enim docet Tridentinum ſeſſione 24. doctrinâ de ſacramento Matrimonij, *Matrimonio quod à principio habuit perpetuum & indiſſolubilem nexum, Chriſtus ſua paſſione gratiam conferendi, vim promeruit; illudque in ſacramentum inſtituit*; & conſequenter voluit vt ratio ſacramenti ſequeretur naturam contractus, tum in alijs, tum in hoc, vt, quemadmodum particularis ille contractus poterat fieri inter abſentes, ita etiam ſic initus haberet rationem ſacramenti: at verò iudicium quod in pænitentiâ exercetur, ſecundum ſe totum fuit à Chriſto inſtitutum; videlicet non ſolum quo ad aliquas conditiones, verùm etiam quantùm ad ipſam rationem & naturam talis iudicij; cum prius nunquam extiterit iudicium aliquod in quo ſit idem reus, accuſator, & teſtis, habueritque cætera quæ huic iudicio conueniunt, atq; ideo Chriſtus preſcripſit conditiones omnes quibus fieri debet, 18.

Diuerſitas inter Matrimonij & Pænitentia Sacramẽta.

quarum vna eſt vt inter reum & iudicem ſit præſentia corporalis; cum iudex ſententiam proferre debeat verbis quibuſdam determinatis, quæ præſentiam exigunt, vt ſupra declarauimus. ex quo fit, eiuſmodi præſentiam non ſolùm neceſſariam eſſe ad valorem ſacramenti in pænitentiâ, verùm etiam ad ſubſtantiam iudicij, in quo fundatur ratio ſacramenti.

Licet enim iudicio ſecundum communem rationem iudicij, non repugnet fieri inter abſentes: repugnat tamen huic iudicio in particulari; tum ex ipſa eius inſtitutione, tum etiam ex eius naturâ. cum enim ſit reconciliatiuum, ſacerdos non ſolùm debet iudicare de peccatis priùs commiſſis, ſed etiam de diſpoſitione eius qui vult reconciliari; ad quod omnino neceſſaria eſt præſentia. Res autem longè aliter ſe habet in matrimonio; quia contractus ipſe in quo fundatur ratio ſacramenti, licitè & validè fit inter abſentes; ac proinde matrimonium quatenus eſt ſacramentum, non requirit præſentiam contrahentium; vt paulò ante diximus: & rurſum breuiter probatur contra Canum. Quia Chriſtus in lege noua inſtituens Matrimonium in ſacramentum, aut mutauit ipſam ſubſtantiam ſeu rationem contractus matrimonialis, apponendo nouam conditionem quæ ad eius valorem ſit neceſſaria, vt ſcilicet non iniretur niſi per præſentes, aut non mutauit. ſi primum; ergo matrimonium quod in noua lege contrahitur inter abſentes non eſt validum in ratione contractus. Si dicatur ſecundum; ergo nunc eſt verum matrimonium in ratione contractus ſicut erat antea, quamuis

fiat

fiat inter abſentes: & conſequenter ſi nihil ei aliud deſit præter præſentiã contrahentiũ, etiã nunc habet rationẽ ſacramenti. Prima conſequentia patet & cõceditur à Cano. 2. verò probatur ex doctrinâ Cõcilij Trid. ſupra adductâ.

Ad 4. Henriquez lib. 2. §. 7. editionis Moguntinæ anno 1613. docet confeſſarium qui abſque iuriſdictione abſoluit, poſſe poſtea, cùm iuriſdictionem obtinuerit, abſentem abſoluere à peccatis: duo tamen ad hoc requirit. 1. vt ſacerdos reputet abſoluendum tunc eſſe ſufficienter diſpoſitum. 2. vt ſub conditione abſoluat. quam opinionem dicit fuiſſe P. Magiſtri Penna, viri ex Ordine noſtro ſapientiſſimi. verùm ſententia illa falſa eſt, & poſt decretum Clemẽtis 8. periculoſa. Per illud enim declarauit Pontifex abſolutionem ſacramentalem non poſſe validè ferri in abſentem. quare miror prædictum auctorem ita ſentire. Quod de Theologis quibuſdam in Concilio Baſileenſi dicitur, & de Magiſtro Penna, alijſque ſi qui illud vnquam docuerunt; non mirũ in re nondum ſatis diſcuſsâ hallucinatos eſſe. Hẽriquez

Ad argumentum ergo negatur antecedens: ad cuius probationẽ, credimus quidẽ Theologos illos ita reſoluiſſe; illi enim Concilio inter alios ex Ordine noſtro viros, interfuit doctiſſimus P. Ioãnes Nider qui id refert in ſuo opere de præceptis decalogi, quod *præceptoriũ* appellauit: dicimus tamen inde nihil aliud conſequi quam tunc opinionem illam fuiſſe aliquorum Theologorum, ſed nũc (vt alia omittam) Apoſtolicâ auctoritate damnatam eſſe.

Ad 5. & primò, quod ex Leone obijcitur, 1. 19.

 ſolutio

Digitized by Google

Gloſſa. ſolutio eſt Gloſſæ ibi, concedi mulieri ſimplici & verecundæ, vt peccata ſua ſcripto confiteatur, in præſentiâ tamen ſacerdotis. 2. ſolutio *Gabriël.* eſt Gabriëlis, ſermonem ibi eſſe de confeſſione adulteræ in foro exteriori, quæ ideo ſcripto fiebat, vt conſtaret Eccleſiæ eam legitimè à viro ſuo eſſe repudiatam. 3. alij dicunt per ſcripturam ibi, non intelligi ſcriptum à muliere, ſed ſcripturam ſacram; vt ſenſus ſit, confeſſionem mulieris adulteræ recipiendam eſſe, iuxta auctoritatem ſcripturæ ſacræ Ioannis 8. vbi Chriſtus non condemnauit adulteram. ita *Syluius.* Syluius ſupra. 4. reſpondent alij lectionem illam dubiam eſſe: quia vt mouet notatio Gregoriana in Capitularibus lib. 7. cap. 127. ita habetur, *& pænitentia illi recipienda.* quocumq; ſenſu ex prædictis verba illa explicentur, conſtat nihil facere pro ſententiâ à Clemēte damnata, prout nihil etiam facit quod ex Cypriano adfertur, qui ne per imaginationem quidem ſignificat aliquos ſibi abſenti per litteras ſacramentaliter eſſe confeſſos: ſed ſolùm, ſe à Martyribus litteras accepiſſe, quibus aliquos, qui ex infirmitate fuerant lapſi à fide, Eccleſiæ reconciliari poſtulabant, & vſitatam tunc in ſimilium reconciliatione ſeueritaeem temperari. Vult ergo Cyprianus, Martyres quoſdam pro aliquibus à fide lapſis, & ad Eccleſiam redeuntibus, ad ſe ſcripſiſſe: non verò lapſos ipſos per litteras aut internuncios ei ſacramentaliter confeſſos fuiſſe; vt perperam & imperitè opinati ſunt quidam. Vt hoc verò declaretur, notandum; eos pro quibus Martyres ſcribebant fuiſſe in ordine pænitentium; proinde non

Qui pro fide in vinculis erāt, ſolebāt tēpore S. Cypria. ſcribere Epiſcopis pro recōciliatione pu-

non poſtulabant vt à peccatis ſacramentaliter abſoluerentur, ſed vt liberarentur à pænitentiâ publicâ & cum cæteris fidelibus corporis & ſanguinis Chriſti communioné acciperent. ex quo facile confutatur diſcurſus factus in argumento; negandũ enim omnino eſt, aliquos Cypriano abſenti ſacramẽtaliter confeſſos fuiſſe.

blicè Pœnitentiũ.

Nihil etiã iuuat contra veritaté ſupra poſitã & explicatá, hiſtoria illa Serapionis: vt enim ex ipſo contextu eſt manifeſtũ, Serapion erat in ordine pænitentiũ, & moribundus ſacerdotem aduocauit vt in ipſo exitu, accepto eccleſiaſticæ reconciliationis beneficio, corporis Chriſti ſacramento muniretur, quod factũ eſt nullâ abſolutione ſacramentali præmiſsâ, ſed partim ex antiquiſſimo Eccleſiæ vſu, quo Euchariſtię ſacramentũ interdum laicis dabatur, vt domũ ferrent, & cum opus eſſet ſumerent; partim ex mandato Dionyſij Epiſcopi Alexandrini, qui, vt ipſe ait, præceperat vt lapſis in exitu, nemo recõciliationis ſolatia denegaret. Sacerdos ergo ille abſens Euchariſtiam ad Serapioné miſit, idq; fuit reconciliationis beneficiũ: ſed neq; Serapion abſenti cõfeſſus eſt, neq; ſacerdos abſẽs eũ ſacramẽtaliter abſoluit.

Hiſtoria Serapionis explicatur.

Notandum etiam hîc eſt aliquos codices ſic habere, *aliquis Præſbyterorum roget vt poſſim aliquando dimitti*; ſed praué, vt patet ex Burchardo lib. 18. ſui decreti cap. 15. & Iuone Carnotenſi parte 15. ſui decreti cap. 37. vnde legendum eſt, ſicut poſitum eſt in argumento.

S. Thomæ Cantuarienſis hiſtoria incerta eſt; ſed quidquid ſit, conſtat eum ſacramentalẽ abſolutionem à Põtifice abſente non petijſſe, tum

Hiſtoria altera S. Thomæ Cãtuariẽſis elucidatur.

tum quia id nunquam fuit in vſu, tum quia ſi ipſe alicuius peccati mortalis conſcius fuiſſet, eiuſmodi confeſſio fuiſſet ei periculoſa; neque enim habens copiam ſacerdotis poterat ſic confiteri; & multò minus interim dum abſolutionem expectabat, celebrare. Dicendum ergo eſt, eum indulgentiam plenariam à Pontifice petiuiſſe; vel abſolutionem ad cautelam ab aliquâ cenſurâ; vel quod mihi verius eſt, rogaſſe Pontificem vt condonaret ſi quid fortaſſe ipſi, in ſuæ magnæ litis contra regem pro Eccleſiæ iuribus progreſſu, humanum aliquid accidiſſet. Vide Syluium ſuppl. q. 8. art. 3. ad 5. dubij *De Confeſſione per literas.*

Syluius.

CAPVT VII.

Tractatur difficultas de moribundo obmuteſcente.

20. SVPEREST vt ſententiã illam de abſolutione infirmi, qui vi morbi oppreſſus nullũ prorſus cõtritionis indicium exhibere poteſt, antea tamẽ voluiſſe cõfiteri, ideoq; ſacerdotẽ aduocaſſe, teſtãtur qui tũc ei adfuerãt; examinemus.

Pro quo notandum, recentiores Theologos qui ante Clementis decretum docuerunt licere per litteras vel internunçium ſacerdoti abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eo item abſente abſolui: ſuam illam opinionẽ ex hâc confirmaſſe; eaque de cauſâ cæpit quæſtio hæc diſputari; cum ne hoc quidem concederent peritiores Theologi: quare hęc controuerſia

uerſia noua eſt, neq; ab antiquis tractata, inter quos illud dumtaxat diſputatum fuit, an moribundus abſolui poſſit, qui coram ſacerdote ſigna quidem doloris oſtendit, eleuando manus, percutiendo pectus, aut dicendo *Peccaui*, vel *Miſerere mei Deus, & tu Pater:* nullum tamen peccatum in particulari ob vim morbi exprimere poteſt. quâ in re plures negarunt *Abulenſis.* poſſe abſolui, vt Abulenſis Math. 16. q. 49. & *Maior.* 79. Maior in 4. diſt. 14. Soto in 4. diſt. 18. q. 2. *Soto.* art. 5. Martinus de Ledeſma 2. parte 4. q. 8. *Mart. Ledeſma.* art. 4. Cano relectione de pænitentiâ parte 6. *Cano.* §. *At inhærendo.* eamq́ue opinionem eſſe multorum recentiorum ſcribit Petrus de Ledeſma *Petrus Ledeſma.* tractatu de pænitentiâ cap. 21. dub. 3. dicitq́ue probabilẽ eſſe & tutã. ex hoc verò colligi poteſt, quid de pręſente quæſt. ſenſerint antiqui, nimirũ tã certã illis fuiſſe partẽ negatiuã, vt ſuperuacaneũ eis fuerit, de eius veritate diſputare.

Nihilominus recentiores quidam, ſed pauci, tuentur partem affirmatiuam. Ita Suarez to- *Suarez.* mo 4. ad 3. partem diſput. 21. ſect. 4. Gabriel *Gab. Vaſquez.* Vaſquez, tomo 4. etiam ad 3. partem q. 91. art. 2. dub. 1. Emmanuel Saà verbo Confeſſio. To- *Emmanuel Saà.* letus in inſtructione ſacerdotum lib. 3. c. 8. qui *Toletus.* etiam refert ſacerdotale Romanum. Nugno & *Nugno.* Syluius ſupra citati. Ego tamen ſententiam il- *Syluius.* lam in animũ inducere non poſſum, neq; ſanè video quã ſpeciẽ probabilitatis habere poſſit.

Moueor 1. quia in prædicto caſu nulla confeſſio fit ab infirmo: ergo nullâ ratione poteſt à peccatis abſolui: Conſequentia eſt manifeſta, Antecedens autem ex eo patet, quod infirmus imperans vt ſacerdos aduocetur ob finẽ confitendi,

Digitized by Google

Moribundum qui nullũ doloris ſignũ exhibet, Sacramẽtaliter abſolui non poſſe probatur.

tendi, ſimulque ſignis externis ſignificans ſe à Deo miſericordiã petere, reipsâ non cõfitetur, ſed tantũ ſignificat ſe habere voluntatẽ & propoſitũ confitendi; quod ab ipsâ confeſſione in re exhibita longè diſtat; atqui propoſitũ confitendi non eſt materia huius ſacramẽti: ergo.

21\.

Prima ſolutio aliorum.

Ad hunc diſcursũ reſpondẽt aduerſarij dupliciter. quidam dicunt, voluntatẽ confitendi quã infirmus tunc, præſentiã ſacerdotis requirendo, & oſtendendo ſigna doloris, teſtatur & explicat, etſi non ſit reipsâ formalis ſuiipſius accuſatio ſeu confeſſio, eſſe tamen confeſſionẽ virtualem, quia confeſſio exterius erat exhibenda, virtute talis ptopoſiti & voluntatis.

Confutatur.

Verùm hic modus dicendi falſus eſt. Primò, quia quis nõ videt voluntatẽ abſolutã ſubeundi martyriũ, deteſtãdi peccata, ſeu Deum diligẽdi, non eſſe virtualiter martyriũ, deteſtationẽ peccatorũ, & Dei dilectionẽ? eſt quidẽ aliquid ad eiuſmodi actus prærequiſitũ, ſed eorũ perfectiones in ſuâ virtute nõ cõtinet: alioquì qui proponit abſolutè Deũ ſuper omnia diligere, eo ipſo iuſtificabitur priuſquã formaliter diligat. vt enim eſt multorũ Theologorũ etiã eorũ contra quos agimus ſentẽtia, virtualis dilectio Dei ſuper omnia, ſufficit ad remiſſionẽ peccatorũ, & iuſtificationẽ extra ſecramentũ: at verò in præſenti id nullo modo dici poteſt.

Præterea, eſto, ſit virtualis confeſſio, quouis demùm ſenſu ab auctoribus illis intento; non tamen ſufficit ad hoc ſacramentum, cuius materia ſufficiens & neceſſaria, eſt formalis & in re exhibita confeſſio: ergo virtualis non ſufficit. antecedens patet, quia requiritur vt peccator

cator verè ſe accuſet: quod fieri non poteſt niſi formaliter confitendo. Conſequentia autem probatur ſimulq; confirmatur hæc ratio, quia voluntas moriendi pro Chriſto, licet admitteretur eſſe virtuale martyriũ, non confert gratiã ex opere operato, quam confert martyriũ realiter ſuſceptũ: quia promiſſio gratiæ eſt facta reali imitationi paſsionis Chriſti, qualis non eſt voluntas prædicta. Similiter frumentũ virtualiter eſt panis, & vuæ virtualiter vinũ: & tamen neq; frumentũ neq; vuæ conſecrari poſſunt; quia in rebus quarũ vſu promiſſa eſt gratia, aut quæ ſunt materiæ ſacramentorum, cum ſint à Chriſto determinatæ, id quod virtuale eſt, pro formali ſubſtitui non poteſt.

Deinde ſi quis mane ſacerdori occurrens dicat ſe infra horam velle confiteri, ideoq; ad eccleſiam venturum; interim vix à ſacerdote diſcedens apoplexiâ tactus, omni ſenſu deſtituitur; ſacerdos ante eius mortem adueniens neq; vllum doloris indiciũ impetrare valens, eum abſoluere non poteſt: ergo voluntas confitendi priùs explicata ſacerdoti, aut non fuit virtualis confeſsio, aut ſi fuerit, non eſt ſufficiens materia huius ſacramenti. Antecedens fortaſſe negabunt aduerſarij: ſed hactenus nõ eſt qui non conceſſerit; idque quia talis explicatio voluntatis, nunquã fuit habita cõfeſsio.

Suarez diſput.23. ſect.1. §. *atque ex hac reſolutione*, reſpondet voluntatem confitendi tunc explicatã, eſſe quãdam inchoationẽ confeſſionis, præſertim conſideratis circũſtantijs illius tẽporis. cum enim infirmus vult ſacerdotẽ accerſiri animo confitendi, in actu exercito petit 22. *2. Solutio Suarez.*

abſolui,

abſolui, ſe peccatorem confitetur, & clauibus Eccleſiæ ſubijcit.

Reprobatur.

Verum neq; hæc ſolutio valet: tum propter argumēta proximè facta; tum quia hac ratione quidquid externum aliquo modo ad confeſſionem ordinatum facit pænitens, vel coram ſacerdote vel corā alijs qui illud teſtari poſſint, erit ſufficiens materia ad abſolutionē obtinendam, ſi morbus ſuperueniens vlteriorē confeſſionē, omniaq; doloris indicia impediuerit; ac proinde poterit verbi gratiâ, abſolui, qui antequā verbū proferret dum ad pedes ſacerdotis genu flexit, vt ei confiteretur, ſubitò in morbū incidit & penitus obmutuit. etenim illa genu flexio corā ſacerdote, eſt inchoatio quædā cōfeſſionis: At hoc & falsū eſt, & abſurdū, ergo.

Secundū quod contra prædictā ſententiam dici poteſt, eſt, quod qualis demū in dicto caſu fingatur fieri confeſſio, ſiue virtualis ſiue inchoatiua; reuera fit ſacerdoti abſenti, & per internunciū: ergo nullâ ratione poteſt eſſe ſufficiens materia huius ſacramenti. Conſequentia eſt certa, quia confeſſio facta abſenti non ſufficit ad huius ſacramenti ſubſtātiam, vt conſtat ex declaratione Clementis ſupra poſitâ. Antecedens autē probatur, quia infirmus in illo caſu ſuā intentionē declarat & corā adſtantibus ſigna doloris oſtendit, abſente ſacerdote ergo confitetur abſenti. Reſpondent aduerſarij cōfeſſionē qualis in eo caſu fieri poteſt, fieri, quādo adſtantes voluntatem moribundi, & ab eo edita doloris indicia ſacerdoti cum aduenerit, explicant: ac proinde fit in præſentiâ, & ſuo modo cenſeri poteſt fieri per interpretem. Sed hæc

Reſponſio aduerſariorum.

hæc ſolutio refellitur 1. quia fieri poteſt, vt aliqui ex adſtantibus ſacerdoté accerſentes, eum adhuc in viâ conſtitutũ, ac proinde abſentem, de infirmi voluntate doceant: tunc enim confeſſio fieret abſenti, & tamen iuxta Auctores quos impugnamus, poſſet pænitens moribundus à ſacerdote pręſente abſolui. Quare fatetur Suarez confeſſionem in propoſito fieri in abſentia ſacerdotis. *Refellitur.* *Suarez fatetur moribundum in caſu de quo agitur confiteri abſenti.*

2. Præſentia ad huius ſacramenti valorem neceſſaria, non eſt mera præſentia corporalis; illa enim eſt tantum materialis; ſed requiritur humana, & quæ humano modo ad ſeria negotia gerenda ſit ſufficiens: ergo cum infirmus in caſu dicto, neque verbo, neque nutu aliquo poſſit ſacerdotem de ſuâ cõſcientiâ docere, non eſt cẽſendus moraliter & ſufficienter pręſens. Confirmatur. ſi, qui per interpretem confitetur, aut ſacerdoti præſenti per ſcripturam, nullo nutu ſignificet, ſe clauibus ſubijcere, & ſui ipſius eſſe peccata, quæ interpres refert, vel ſcriptura continet; neque validè confitetur, neque abſolui poteſt, vt cõmuniter docent Theologi: ergo pręſentia hic requiſita non eſt merè corporalis, ſed quæ rebus inter homines tractandis ſit idonea. Cuius ratio eſt manifeſta, quia ex ſolâ, & vt ſic dicam mutâ præſentiâ corporis, non plus certitudinis habet ſacerdos, de diſpoſitione infirmi, aut plus notitiæ de conſcientiâ eiuſdem, quam ſi eſſet abſens: ergo illa nihil confert ad valorem ſacramenti. *Ad valorẽ Sacramẽti pœnitentiæ non ſufficit præſentia quæcumque ſed humana.*

3. Moueor in hac re. quod cum Suarez diſput. illâ 21. ſect. 4. decretum Pontificis ſit 23.

Præcipuũ fundamẽtum interpretationis Suarez eſt neceſſitas moribũdi, ante Sacerdotis aduentum obmuteſcentis.

interpretatus, vt ſolum oſtenderet confeſſionem infirmi in caſu quem tractamus, illâ declaratione non comprehendi; tum ipſa eius interpretatio fuit à ſede Apoſtolicâ damnata, tum ſectio illa tota prohibita, & ex eius libris iuſſa amoueri; vt ne quidem eius loco alia ſubrogari poſſit, cum tamen nihil aliud præter ſententiam illam de infirmo obmuteſcente quam confutamus, contineret.

Petrus Ledeſma Baptiſta Corradus

Cano. Sot. Alphonſus Curiel.

Quocirca contra illam nobiſcum ſentiũt Petrus de Ledeſma tractatu de pænitẽtia cap. 21. dubio 2. in fine. Ioãnes Baptiſta Corradus in reſponſis caſuum conſcientię quæſt. 10. paſſimque ita docent recentiores Thomiſtæ vno Nugno excepto: & à fortiori id tenuerũt eiuſdem ſcholæ antiqui Theologi, è quibus vide Canum & Sotum ſupra citatos, quos nouiſſimè ſequutus eſt ſapientiſſimus Alphonſus Curiel in manu ſcriptis, tractatu de confeſſione q. 13. in ſolutione ad 3.

Porro argumenta à contrarijs ſuperius capit. 2. adducta nullam habent difficultatem.

Concilia Arauſicanũ & Carthaginẽſia non loquũtur de recõciliatione ſacramentali.

Ad 1. & 2. reſpondent Soto, Cano, Corradus & Curiel ſupra; teſtimonia illa, & decreta, ſolum loqui de reconciliatione, quâ dabatur ius ad Euchariſtiam, illis qui publicam pænitentiam agebant, & per quam reſtituebãtur participationi ſacramenti, cum vero huiuſmodi recõciliatio eſſet dumtaxat cæremonialis, & non ſacramentalis; ad illam non præremquirebatur neceſſario confeſſio peccatorum; ſed ſolum ſubmiſſio quædam & deſiderium

acci-

Digitized by Google

accipiendi pacem, vt ſæpe loquitur Cyprianus. Proinde contendunt prædicti Auctores, decreta & teſtimonia citata, perperam adferri ad probandum poſſe abſolui etiam infirmum illum, qui propriâ quidem voce coram ſacerdote peccatorem ſe confitetur, vi tamen morbi preſſus nullum peccatum in ſpecie exprimere poteſt: & ſanè ſi id verum eſt, quod tamen eſt longè veriſimile, meritò à prædictis Auctoribus dictum eſt, Canones illos negligenter fuiſſe à contrariæ ſententiæ doctoribus inſpectos.

Contra hanc ſolutionem obijcit Suarez ſex argumenta, primum. Quia decreta ſupra adducta loquuntur de pænitentia ſub hac voce, & eam appellant actionem ſacerdotis, vel ſatisfactionem aut actionem pænitentis; nominе autem pænitentiæ, vel alijs adductis, non ſolet ſignificari abſolutio à cenſurâ, vel alia cæremonialis, ſed verum ſacramentum. 25. *Prædictam doctrinam impugnat Suarez ſex argumẽtis.*

2. Quia declarant illam pænitentiam eſſe adeo neceſſariam ad ſalutem, vt hæc ex illâ pendeat; ita vt contingere poſsit, ob ſolam eius carentiam hominem damnari; quod non eſt verum de illâ abſolutione, quæ non eſt ſacramentalis.

3. Quia in Concilio Arauſicano capit. 3. expreſse diſtinguitur pænitentia, à reconciliatoria manus impoſitione: ergo cum dicit in caſu de quo loquimur, pænitentiam eſſe dandam, intelligit de vero ſacramento, quod etiam patet ex Carthaginenſi 4. vbi prius dicitur dandam eſſe pænitentiam; & additur, ſi

 infir-

infirmus creditur moriturus, reconciliandum eſſe per manus impoſitionem.

4. Quia Leo Papa expreſsè dicit illam pœnitentiam eſſe dandam à ſacerdote ex vi poteſtatis acceptæ per illa verba *quorum remiſeritis peccata &c.*

5. Quia dicti Patres, & Pontifices non loquuntur ſpecialiter de excommunicatis, neque de ijs ſolis qui publicam pænitentiam agebant; ſed abſolutè & ſimpliciter de fidelibus & peccatoribus: ergo loquuntur de pænitentiâ qua omnes indigent, quæ eſt ſacramentalis. Confirmatur, quia teſtimonia illa loquuntur generaliter de omni peccatore pænitentiā petente. etiā de illis qui differūt pænitentiā vſque ad finē vitæ: vt patet ex Auguſtino, Leone, & Concilio Carthaginenſi. Loquūtur etiam generaliter de omni ſacerdote, vt ſcilicet quilibet poſsit & debeat in illo articulo abſoluere, ſi verò eſſet ſermo de pænitente iam confeſſo; ab illo ſolo ſacerdote poſſet abſolui, cui fuiſſet confeſſus: deinde loquuntur etiam generaliter ex parte temporis, vt ſcilicet danda ſit abſolutio quotieſcumque talis caſus euenerit.

6. Si decreta loquerentur de ſolâ abſolutione cæremoniali impendendâ iam antea cōfeſſis & ſacramentaliter abſolutis; non requireretur nouum teſtimonium adſtātium; quod tamen prędicta iura requirunt: ac proinde dicendum eſt ea loqui de ſacramentali abſolutione à peccatis.

26. Nihilominus hæc nihil vrgent contra reſponſionem ſuperius adductam. Ad cuius, & verita-

veritatis declarationem, notandum eſt: in decretis citatis ſolum agi de illis qui pænitentiã publicam agebant: quod patet, tum quia ſemper loquuntur de reconciliatoria manus impoſitione quæ ſolis pænitentibus publicis dabatur, qui ob grauiora crimina, Eccleſiæ ſtatuto ab Euchariſtiæ communione abſtinebãt tum quia paſſim dicitur quod qui in infirmitate fuiſſent ſic reconciliati, ſi ſuperuixiſſent, ſcirent ſe adhuc eſſe in ordine pænitentium. Ita dicitur in Concilio Niceno 1. Canone 12. Et Concilio Carthaginẽſi 4. canone 76. cuius sũt hęc verba. *Si ſuperuixerit; admoneatur à ſupradictis teſtibus petitioni ſuæ fuiſſe ſatisfactum, & ſubdatur ſtatutis pænitentiæ legibus quam diu ſacerdos qui pænitentiam dederit, probauerit.* Eodem modo loquuntur Concilium Arauſicanũ 1. cap. 3. Et pænitentiale Theodori apud Burchardum lib. 18. ſui decreti, cap. 14. Certum vero eſt eos dumtaxat debuiſſe ſtare in ordine pænitentium, & ſubijci ſtatutis pænitentiæ legibus, qui in canones pænitentiales incidiſſent, & publicæ ſententiæ fuiſſent obnoxij. Deinde Concilij Arauſicani canon. 3. expreſsè nominat pęnitentes: ſic enim habet, ſecũdum Burchardum; *Qui de corpore recedunt pænitẽtes.* Et ſecundũ Carranzam, *qui recedunt de corpore pænitentiâ acceptâ.* Vtrouis enim modo ſignificantur qui publicam pænitentiam agebant.

Concil. Nican.

Pœnitentiale Theodori.

S. Burchardus Barthol. Carranza.

Denique nomine pęnitentiũ in antiquis iuribus, & Sanctorũ Patrũ loqutionibus, publicos dũtaxat intelligi, tradunt Bellarminus lib. 3. de pænitentiâ cap. 14. & Gabriel Vaſquez tom. 4. quæ. 90. art. 1. dub. 3. num. 13. & licet

Card. Bellarm. Gabriel Vaſquez.

Digitized by Google

hic auctor q. 91. art. 2. dub. 1. §. *Dicet aliquis*; velit eodem nomine comprehendi eos qui necdum publicæ pænitentiæ erant ſubiecti, ſed quibus cum publici eſſent peccatores, publica eſſet agenda pænitentia; id tamen volũtarium eſt & nullo vſu firmatum. imo Concilium Toletanum 1. canone 2. declarauit nomine pænitentium ne quidem omnes qui publicam pęnitentiam agebant ſignificari; ſed illos dumtaxat qui ſolemnem; vt etiam notat Bellarminus lib. 1. de pænitentia cap. 22. *Eum vero, pænitentem dicimus* (aiunt PP. illius Concilij) *qui poſt baptiſmum, aut pro homicidio, aut pro diuerſis criminibus, grauiſsimiſque peccatis, publicam pænitentiam gerens ſub cilicio, diuino fuerit reconciliatus altari.*

Bellarm.
Concil. Tolet. 1.

Notandum 2. quod cum pænitẽtes vſu Euchariſtiæ eſſent priuati, quæ tunc erat grauiſſima pæna; noluit Eccleſia quæ eos materne & vtiliter caſtigabat, tanto fructu in mortis articulo, carere. Vnde multis canonibus ſtatutum eſt, ne in ſupremo vitæ diſcrimine viaticum pęnitentibus negaretur, neque vero tum, cũ neceſsitas vrgebat, requirebatur neceſſario præmia confeſsio; ſed fideles Euchariſtiã domi aſſeruatam debitâ cum reuerentia ſumebant; vel pænitentibus graui ægritudine oppreſsis, cum tamen contritionis, & deuotionis ſigna exhibuiſſent, presbyter vel Diaconus, imo etiam interdũ laicus, corporis Chriſti ſacramentum porrigebat. Cum ergo in articulo mortis quiſpiam pænitentium ſacerdoti confiteri poterat, ab eo abſoluebatur; ſecus verò, ſi confiteri non poſſet, nõ abſoluebatur quidem,

quidem, ſed accepto adſtantium plurium vel vnius de conceptâ peccatorum deteſtatione teſtimonio, Euchariſtia ei porrigebatur, idque erat eum tunc reconciliarę.

Singula huius notationis puncta manifeſta ſunt partim ex Pontificum decretis, partim ex Sanctorum doctrinâ, & antiquo vſu eccleſiæ. Primum quidem publicos pænitentes ab Euchariſtia percipiendâ eccleſię ſtatuto impeditos fuiſſe, patet tum ex eis quæ fiebant circa eiuſmodi pęnitentes in capite ieiunij, & eorum in cænâ Domini reconciliatione; quæ refert ordo Romanus: tum ex epiſtolis duorum Pontificum Innocentij quidem cap. 7. Pij vero cap. 2. Ex quo ita habet Burchardus lib. 19. ſui decreti cap. 63. *Pænitentes non debent communicare ante conſummationem pænitentiæ.* *Ordo Roman.* *Innocĕtius.* *Pius.* *Burchard.*

2. Conſtat ex Concilio Nicæno 1. canone 13. in quo Patres iubent vt ſecundum antiquam regulam in mortis articulo nemini denegetur ſacra communio. Qui Canon ſępe renouatus fuit in poſterioribus Concilijs, & inter ea in Carthaginenſi 4. cap. 78. & Arauſicano 1. cap. 3. Idem etiam ſtatuerunt Siricius Papa apud Burchardum lib. 18. cap. 8. & apud eundem cap. 11. Euſebius Papa: patet etiam ex Cypriano libri 3. Epiſtola 17. & ex facto Dionyſij Alexandrini, apud Euſebium Cæſarienſem lib. 6. hiſtorię eccleſiaſticę cap. 33. *Cŏc. Nicæ.* *Siricius.* *Euſebius.* *Cyprianus* *Dionyſius Alexandr.*

Quod 3. loco dictum eſt, fideles non pęnitentes ſolitos olim fuiſſe ſacrum Chriſti corpus domum ſecum ferre, vt illud

cum libuiſſet ipſi ſumerent, etiam in ſacerdotis abſentiâ, ac proinde neque præmiſſa tunc proximè confeſsione, conſtat ex Tertulliano lib. 2. ad vxorem cap. 5. Cypriano ſermone de lapſis. Ambroſio oratione de obitu Satiri fratris, Gregorio Nazianzeno oratione in Gorgoniam, Baſilio in epiſtolâ ad Cæſariam patritiam. Huc etiam facit hiſtoria ſancti Tharſitij martyris quam ex Beda refert Algerus & ad 15. Auguſti martyrologium Romanum. At vero veriſimile non eſt, omnes omnino fideles terrâ mariue aut domi conſtitutos, quâuis demum occaſione abſque vllo peccati mortalis næuo fuiſſe.

Tertulliã. Cyprian. Ambroſius. Greg. Nãzianz. Algerus. Martyrolog. Rom.

De pænitentibus autem, res vel ex ſola Serapionis hiſtoriâ patet, qui vt ait Bellarminus lib. 4. de ſacramento Euchariſtiæ cap. 4. in extremis agens miſit puerum ad presbyterum vt ad ſe veniret cum ſacraméto Euchariſtiæ: certum autem eſt ex textu ipſo & verbis Dioniſij, Serapionem vel fuiſſe pænitentem nondum reconciliatum, vel certè cum publicè eſſet lapſus, ad illud vſque tempus ad pænitentiam non fuiſſe admiſſum, & tamen non præmiſſâ cõfeſsione, ex Eccleſię vſu & indulgentia Euchariſtiam accepit.

Bellarm.

29. Ex his facile eſt ad iura & Patrum teſtimonia ab aduerſarijs adducta reſpondere: non aliud ſcilicet ex eis colligi, quam pænitentibus graui morbo oppreſsis, ideoque vel loqui nõ valentibus, vel omni ſenſu carentibus, debuiſſe cæremonialem reconciliationem impendi, & Euchariſtiæ ſolatium dari, ſi priuſquam ſacerdos accerſitus aduenißet, cõtritionis ſigna exhi-

exhibuiſſet idque aliorum teſtimonio eſſet cõprobatum; cuius eccleſiaſticę conſtitutionis vnicum fundamentum fuit, quod cum Deus ad miſerendum paratiſſimus homini ſua peccata per contritionem deteſtanti, in tali neceſſitate poſito culpam remittat; illis non debeant prædicta eccleſiaſtica ſolatia denegari, qui cũ publicè lapſi fuiſſent, licet per ægritudinem confiteri non potuerant, habuerãt tamen veram de commiſſis à ſe exceſsibus contritionẽ. de abſolutione vero ſacramentali nuſquã fit mentio cum de illis agitur, qui vel obmutuerant vel omni ſenſu caruerant; de quibus ſolum dicitur quod pænitentiam accipiant, & reconcilientur.

Solutionem hanc perſpicuè tradit ſupra citatus Canon Cõcilij Aghatẽſis, qui ſic habet. *Pænitentes tempore quo pænitentiam petunt, impoſitionem manuum & cilicium ſuper caput à ſacerdote (ſicut vbique conſtitutum eſt) conſequantur; ſi autem comas non depoſuerint, aut veſtimẽta non mutauerint, abijciantur: & niſi dignè pænituerint, non recipiantur. Iuuenibus etiam pænitentia non facile committenda eſt, propter ætatis fragilitatem; viaticum tamen omnibus in morte poſitis non eſt negandum.*

Concil. Aghatenſe.

Ex hoc enim obſeruanda ſunt duo 1. quid 30.
ſit pænitẽtiam accipere: neque enim idem eſt quod ſacramentaliter à peccatis abſolui, in quo falluntur aduerſarij; ſed eſt à ſacerdote pręſcribi modum & quantitatem pænitentiæ, quam pro his peccatis ſubire oportet, & in numerum atque pęnitentium ordinem adſcribi. Patet id ex priori parte huius canonis, qua

qua dicitur, pænitētibus eo ipſo tempore quo pęnitentiam petunt, debere manus imponi: cum alioqui certum ſit non fuiſſe conſuetudinem, eos à peccatis tunc abſoluere, ſed orationes adhibere & cęremonias quaſdam ab Eccleſiâ pręſcriptas; vt patet ex Burchardo lib. 17. ſui decreti prorſus in fine. Patet etiam ex penultimâ parte eiuſdem canonis: ibi enim dicitur, *Iuuenibus pænitentiam dandam non eſſe facilè, propter ætatis fragilitatem:* abſurdum vero eſt dicere, ibi negari iuuenibus abſolutionem à peccatis.

S. Burchardus.

S: Leo.

Similiter Leo Papa ad Ruſticum cap. 2. decreuit ne presbyteri aut Diaconi pro aliquo à ſe commiſſo crimine, acciperent *remedium pænitendi per manus impoſitionem*, quo manifeſtũ fit, per pænitētiam quam ibi vocat remedium pęnitendi (quaſi diceret remedium pænitentiæ) aut per manus impoſitionem, non ſignificari abſolutionem à peccatis ſed cęremoniã pænitentiæ ab eccleſiâ præſcriptæ, id eſt pænitentiam ſolénem. Quis enim dicat presbyterũ aut Diaconum à peccatis abſolui non debere?

Obſeruo 2. circa prædictum canonem,
51. poſtrema illius verba quibus decernit etiam illis qui dignè non pænituerint viaticum in mortis articulo negandũ non eſſe; ex eo enim datur intelligi, ad Euchariſtiam in ſupremo vitę diſcrimine percipiendam, confeſsione & abſolutione ſacramentali pręuiâ opus nõ fuiſſe: dicit ſiquidem eam illo caſu nemini negandam; cum tamen contingeret aliquos vi morbi adeo grauatos eſſe, vt nec confiteri poſſent, nec aliquod integri ſenſus indicium

dare. Hinc apparet, veram & in genuinâ Canonum & Patrum intelligentiâ fundatam eſſe Soti, Cani, aliorumque Thomiſtarum ſupra adductam reſponſionem; meritoque ab ijs dictum fuiſſe, aduerſarios iura quæ ipſi proferunt non perſpexiſſe, neque morem antiquum eccleſiæ, ſatis attendiſſe.

Ad 1. obiectionem Suarez, patet ex dictis, nomine pænitentiæ non ſolum ſignificari ſacramentum, verum etiam ſatisfactionem publicam, quæ pro publicis peccatis iniungebatur, eiuſque ex præſcripto ritu & cæremoniâ impoſitionem, & illa quidem quatenus præſcribitur à ſacerdote, dicitur actio ſacerdotis; quatenus vero fit à pænitente, dicitur ſatisfactio vel actio pænitentis: neque in his vocibus eſt aliquod ſingulare myſterium, vt putat Suarez. Hoc ſolum notandum, quod cũ prædictæ voces, & maximè (*pænitentia*) modo pro ſacramento, modo pro impoſitione pænæ, vel illius acceptatione & executione, accipiatur: ex ipſo textu, & re de quâ eſt ſermo, colligendum eſt, pro quo vſurpetur. Rectè enim Sanctus Thomas in 4. diſt. 14. q. 1. art. 5. *S. Thom.* quæſtiuncula 3. in fine corporis, vbi ritum pænitentiæ ſolemnis tradit, & eam à publicâ diſtinguit, notat; auctoritates veterum canonũ variè loqui de pęnitentia ſolemni; vt reuera cõſideratione & judicio opus ſit, ne ea quæ de ſolẽni pænitẽtia apud veteres legũtur, ſemper intelligãtur de illa quæ propriè ſolemnis dicitur, quæ interdum non plus ſignificet quam ſimpliciter publicam: multoque minus intelligantur de ſacramento dicta.

Ad

Digitized by Google

Ad 2. Mirum eſt in quo canone illud expreſſe legerit Suarez; cum in nullo eorũ quos adducit aliquid ſimile habeatur. Verum tamẽ eſt, grauiter repræhendi, præſertim à Iulio & Cæleſtino Pontificibus, presbyteros qui publicis peccatoribus in mortis articulo conſtitutis oportuna ſalutis remedia negabant; illis quidem qui coram confiteri deſiderabant, ipſum pænitentiæ ſacramentum, Euchariſtiam & extremam vnctionem; ijs vero qui morbo impediti confiteri non poterant, reconciliatoriam manus impoſitionem & corporis Chriſti communionem: hæc enim morientibus negare, ſeruatâ tamen ſemper proportione iam dictâ; erat Dei miſericordiæ præiudicare, & ſalutaribus præſidijs pænitentes deſtituere. Porrò illis qui obmutuerant vel alio morbi impedimento præuenti, confiteri non poterant, non ſolitum fuiſſe ſacramentalem abſolutionem impendi, ex ijs quæ ſupra diximus ſatis liquet; & ſpecialiter ex hiſtoria Serapionis; & quod Diaconi in abſentia ſacerdotis & vrgẽte periculo mortis, pænitentes ſuſcipiebant, vtendo cæremonijs quæ ipſis eſſent permiſſæ, & Euchariſtiam miniſtrando. Vide Cyprianum ſæpe citatum lib. 3. epiſtola 17.

Iulius. Cæleſtinus.

Ab illis reprehendũtur presbyteri qui Euchariſtiã publicis peccatoribus in mortis artic. negabant.

Cypri.

Cum ergo pænitentia dicitur ad ſalutem neceſſaria; id accipiendum eſt de ſacramento pænitentiæ pro ijs qui fuerint integri ſenſus, ac proinde ſi adſit ſacerdos confiteri poſſint; vel ſi de illis ſit ſermo qui confiteri non poterant, intelligendum eſt de reconciliatione eccleſiaſticâ, & Euchariſtiâ, quæ cum illa dabatur:

batur: & de hac maximè loquuntur decreta, & Sancti Patres. Neque tamen eo ſenſu id ſumi debet, vt hæc ſint ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem, adeo vt abſque illis reipſa exhibitis homo æternam miſeriam euadere nequeat, ſed quod ea magna ſint ad vitam æternam capeſſendam adiumenta: vt proinde qui ea negaſſet ſiue presbyter ſiue Diaconus, non Chriſtianus eſſet ſed Nouatianus, vt habet Concilium Moguntinum cap. 2. apud Burchardum ſupra. *Conc. Moguntinum. 32.*

In tertiâ obiectione rectè quidem diſtinguit Suarez pænitentiam à reconciliatione, quæ duo non ſolum ex Cõcilio Arauſicano 1. quod ipſe citat, ſed etiam ex Carthaginenſi 4. cap. 76. & epiſtolâ Leonis 91. alias 89. cõſtat eſſe diuerſa; at contra peritiores Theologos ſentit, nomine pænitentiæ illis locis intelligi abſolutionem Sacramẽtalem, quod lõgè abeſt à doctiſsimorum ſententiâ; è quibus Garcias Loayſa & Coriolanus in nobis ad Canonem 12. Concilij Toletani 12. volunt abſolutionẽ à peccatis ſignificari per manus impoſitionem. At vero Ioannes Lenſærus Balleolanus lib. de ſatisfactione eccleſiaſticâ c. 14. & Guilielmus Eſtius in 4. diſt. 15. §. 15. Sentiunt docentque illam, nomine reconciliationis intelligi, quibus fauet Leo iam citatus cap. 1. his verbis. *Chriſtus hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum, per ianuam reconciliationis admitterent,* & infra cap. 5. *Quo vix* (inquit) *inueniat ſpatium,* *Loayſa Coriolan. Lenſæus. Eſtius. S. Leo.*

tium, vel confeſsio pœnitentis , vel reconciliatio ſacerdotis. Vide aliter, ſed accuratè, antiquos eccleſiæ ritus, & Canonum decreta explicantem Albaſpinum ſuarum obſeruat. lib. 2.

Hinc verò conſtat eiuſmodi decreta obſcura eſſe propter multiplicem vocum *pænitentiæ* & *reconciliationis* ſignificationem, ideoque iuxta diuerſos caſus alio atque alio modò declaranda. Dicimus ergo, duo prædicta inter ſe diuerſa eſſe; ſed reuera nomine pænitentiæ nō ſignificari abſolutionem à peccatis, ſed impoſitionem ſatisfactionis: nomine vero reconciliationis ſignificari & abſolutionem à peccatis, & reconciliationem cæremonialem, quâ dabatur ius ad Euchariſtiam: ſed pro diuersâ conditione morientium, vel vtramque, vel vnam dumtaxat, ſcilicet poſteriorem, potuiſſe impendi.

Recōciliatio & pœnitentia in decretis nō idem eſſe.

In ijs pænitentia non ſignificat abſolutionē à peccatis.

33. Ad 4. obiectionem reſpondetur, Leonem initio illius epiſtolæ tradere cōmunem de pænitentiâ doctrinam, quâ ſcilicet ratione, ordinariè & citra neceſſitatem ac bono(vt ipſe loquitur) ordine adminiſtrari debeat; ideoque omnia eo ſpectantia vocat *ordinata præſidia diuinæ bonitatis*, inter quæ præcipuum eſt ipsū pænitentiæ ſacramentum, cuius conferendi poteſtas à Chriſto ſolis presbyteris eſt collata; & illis quidem verbis *quorum remiſeritis peccata*. quorum tamen non meminit Leo; in quo malè refertur à Suarez. Porro non ſolum ſacramentalis abſolutio poterat à ſolis presbyteris dari, verum etiam pænitentia ſolemnis dabatur à ſolo Epiſcopo; publica vero etiam à presbyteris, vt notauit Sanctus Thomas

mas ſupra; & conſentiunt Theologi. Cum ergo de his pænitentijs loquantur decreta ſuperius adducta: dicendum eſt,poteſtatem iniungendi pœnitentias publicas,comprehendi ſub poteſtate ligandi.

Ad argumentum ergo , conceſſo eius aſſumpto, neganda eſt conſequentia vt patet ex dictis.

Ad 5. fusè dictum eſt ſupra , decreta ſolum 31.
loqui de publicis peccatoribus, ſeu qui morti vicini tunc primum pænitentiam peterēt, ſeu qui antea petijſſent & in ordinem pænitentiū eſſent cooptati , & ſanè nulla vnquam fuit ratio dubitandi in eccleſiâ , num fidelibus ſub extremum vitæ periculum confitentibus , poſſet ſacramentalis abſolutio impendi , aut ſi obmutuiſſent & confiteri nequiuiſſent,poſſet Euchariſtia eis exhiberi? Sed tota illa quæſtio verſabatur de publicis peccatoribus,de quibus citata Pōtificū decreta,modo ſupra explicato, diſponūt. non loquūtur ergo prędicta decreta generaliter de omnibus fidelibus; quia nec omnes fideles ſi ſuperuixiſſent debuiſſent eſſe de ordine pænitentium , neque omnes poſſūt pænitētes appellari,iuxta modū loquendi canonū ; neque tandē omnibus erat dāda pænitētia,ſenſu ſupradicto.Ex parte vero ſacerdotū, generaliter quidē loquuntur citata teſtimonia,non abſolutè,ſed in caſu,ſi enim moribūdus qui antea cōfeſſus fuiſſet,habebat copiā illius ſacerdotis cui confeſſus fuerat , debebat proculdubio abſolui ab illo vel reconciliari : quo pacto quilibet fidelis hoc tempore debet proprio ſacerdoti confiteri, ſi nihil

nihil obſtet: at prædicti ſacerdotis defectu, quiuis alius in ſuprema illa neceſsitate eũ (ſibi tamen confeſſum) abſoluere, vel ſi ante confeſsionẽ obmutuiſſet, poterat reconciliare, cęremonia vt ſæpe monui, tunc vſitata, eique viaticum præbere; quod etiam Diaconis licebat, cum nullus ſacerdos adeſſe poſſet.

De ijs vero qui tunc primum pænitentiam petebant, & eatenus confeſsi non fuerant: res eſt certa, nõ potuiſſe abſolui. eodem modo dicendum eſt, Canones loqui generaliter ex parte temporis, vt quoties inſtans vitæ periculum vrgeret, proprius ſacerdos vel quiuis alius, modo iam dicto, vel abſoluiſſet vel reconciliaſſet.

Ad quid requirebatur teſtimonium adſtantiũ.

Ad 6. Reſpondetur, etiam eos qui prius confeſsi fuerant; cum in illo vitæ diſcrimine obmutuiſſent, indiguiſſe adſtantium teſtimonio, vt reconciliarentur & Euchariſtiam acciperent; quæ non petentibus neutiquam concedebatur. Et verò vt à ſenſibus alienus, ſacramentaliter abſolueretur ab illo ipſo ſacerdote cui antea fuerat confeſſus, & pœnitentiâ acceptâ eatenus non fuerat à peccatis abſolutus: requirebatur prædictum teſtimonium, nõ quidẽ ideo quod confeſsio fuiſſet inſufficiens, neque vero quod eiuſmodi teſtificatio eſſet partialis confeſsio; ſed quia erat conditio quędam ad hoc requiſita, vt moribũdi deſiderium ſacerdoti conſtaret. Quis enim dicat illam cõfeſsionem eſſe, etiamſi ipſemet pænitens per ſe hoc exponeret ſacerdoti; vt ſi quis heri cõfeſſus; hodie eidẽ ſacerdoti diceret, abſolue me quia iam ſum moriturus? multo ergo minus teſtificatio

Digitized by Google

teſtificatio adſtantium cenſenda eſt pars confeſſionis, vt contendit Suarez.

Ad 3. principale ex ijs quæ cap. 2. ſunt adducta reſpondetur, optare nos vel probabilem coniecturam, quod Sanctiſſimus Dominus ſimile reſponſum ad præſentem quæſtionem dederit; omni ſanè tergiuerſatione aut interpretatione reiectâ, quæ noſtris inſolens eſt, & à quouis catholico debet eſſe aliena, agnitam veritatem ſummâ animi promptitudine atque affectu complecteremur. Neque tamen Illuſtriſſimorum Bellarmini, & Armacani, fidei vllà ratione detractum volumus; ſed cum eorum teſtimonia litteraſve minimè viderimus; ijs non putamus plenam fidem adhibendam eſſe, quibuſcum nobis eſt diſputatio, & qui facile ſimilia obijciunt ſcribuntque. conferātur teſtimonia dictorū Illuſtriſſimorū de reprobatione interpretationis Suarez quæ attulimus cap. 7. Fortè igitur Clementi 8. affinis illa quæſtio inter Theologos controuerſa; propoſita fuit, vtrum moribundus abſolui poſſit, qui coram ſacerdote ſigna contritionis oſtendit, quibus ſe peccatorem communi ſolum ratione profitetur, nullius verò peccati ſpeciem in particulari explicat? fortaſſis (inquam) quæſtio illa non vero hæc quam tractamus, propoſita fuit; & in affirmatiuam partem tunc reſoluta; quod tamen neq; concedimus. Quidquid verò ſit: non reſpondit Pontifex ex ſede, neque ſuâ illâ reſponſione voluit, quod certum firmumque haberi debeat, definire; ſed priuatim rogatus neque ſatis explicatâ quæſtione, priuatim vt particularis Doctor reſpondit. 36.

37. Ad 4. reſpondetur, Nullam hîc eſſe ſpeciem confeſſionis per interpretem, imo nec confeſſionis omnino, clarè monſtrauimus ſupra: tum quia iubens accerſiri ſacerdotem, aut externa contritionis indicia prodens, nihil adſtantibus ſacerdoti dicendum committit; neque expreſsè vt conſtat, neque virtualiter, vt oſtendimus. Tum quia illis ipſis ſignis & mandato vocandi ſacerdotẽ, ſolum ſignificat deſideriũ confitendi; &, ſi virtualiter cenſeatur aliquid cõmittere adſtantibus vt ſacerdoti referant: non aliud eſſe poteſt, quàm ſe voluiſſe cõfiteri, quod ad abſolutionẽ non ſufficit. Adde (quod etiam ſupra monuimus) deeſſe ibi præſentiam ad hoc ſacramẽtum neceſſariam, quæ humana & moralis eſſe debet, & non ſolùm realis qualis rei inanimatæ conuenire poteſt.

38. Ad quintum reſpondetur negando aſſumptum. cum enim duo ſint principia ex quibus opinio aliqua fit probabilis: vnum intrinſecum, videlicet rationes quæ rem aliquatenus & apparenter ſuadent; Alterum extrinſecum, ſcilicet auctoritas eorum qui ita ſenſerunt; *opinio enim probabilis* (ait Ariſtoteles 1. Topicorum cap. 1. & 1. Ethicorum cap. 4.) *eſt, quam aſſerunt viri ſapientes, & confirmant optima argumenta*: opinionem quam hoc loco confutamus, ex aliquo illorum probabilem eſſe, concedere non poſſumus. rationes ſiquidem ſi quæ ſunt, ſumuntur ex decretis in alium ſenſum contortis, & prauè explicatis; vt monuerunt Sotus & Canus ſuprà, & nos planè oſtendimus. at verò Doctorum aſſerentium auctoritas adeo exigua eſt, vt probabilitatem nullam

Probabilitatis alicuius ſententiæ duo principia.

Digitized by Google

lam conferre poſſit. vnus enim ex alio, ex affe-ctu, & re non ſatis librata, ita docent: quod ad conciliandam alicui opinioni probabilitatem non ſufficere, docuit Coninck, præfatione ad opus de ſacramentis, & Luyſius Turrianus 22. diſput. 55. dub. 3. Sed potiſſimè omnem dictæ opinioni probabilitatem ademit, Pontificis vnà cum Illuſtriſſimorum Cardinalium congregatione, ſupra adducta declaratio; quâ interpretationem Franciſci Suarez ad Clementis 8. decretum, ſuperius etiam poſitum, non ſubſiſtere declararunt; ſimulque iuſſerunt vt ex tomo 4. dicti Suarez diſputationis 21. ſectio 4. penitus amoueretur, nullaque eius loco ſubrogaretur. Cum autem in eâ ſectione nihil omnino aliud habeatur quam iſtius opinionis explicatio & defenſio; totaque illa damnata ſit & iuſſa amoueri: neſcio ſanè quid probabilitatis ei ſupereſſe poſſit. Et hoc deberent attendere qui ſepoſito omni contentionis ſtudio veritatem amant: vt enim rectè ſcribit Turrianus ſuprà, *Nulla opinio, decreto vel declarationi Pontificis contraria, vllo pacto probabilis cenſeri poteſt.* Coninck. Luyſius Turrianus

His circa aſſumptum argumenti poſitis, circa eius illationem quædam obſeruanda ſunt, quæ tum huic quæſtioni, tum alijs pleriſq; lucẽ adferẽt. Primũ eſt opinionẽ quampiã poſſe eſſe probabilẽ, vel ſpeculatiuè dumtaxat, vel etiam practicè. Hæc enim diſtinctio eſt ab omnibus Theologis recepta, ac maximè neceſſaria; quam etiam cum alijs tradunt Suarez tomo 3. ad 3. partem diſput. 21. ſect. 4. & Coninck de Sacramentis q. 66. art. 6. dubio vnico, agentes

Opinio alia probabilis tantũ ſpeculatiuè, alia etiam practicè.

de opinione eorum qui docuerunt, poſſe dari baptiſmum, *in nomine Genitoris, Geniti & procedentis ab vtroque*, quam ſpeculatiuè quidem docent eſſe probabilem, non vero practicè. Vt autem breuiter termini ipſi declarentur, *illa opinio ſpeculatiuè dumtaxat dicitur probabilis, quæ quatenus in ſcholis & in communi diſputatur, habet fundamenta apparentia, quæ ſufficiant vt intellectus illi adherere poſſit*. Eiuſmodi eſt opinio iam dicta. Porrò ad opinionem practicè probabilem inſuper neceſſarium eſt, *vt communiter, etiam ab ijs qui eam veram eſſe non ſentiunt, exiſtimetur abſque peccato poſſe in re & executione poni*. Cuius generis eſt, Iudicem poſſe ſibi cognitum innocentem, ex allegatis tamen & probatis nocentem, abſoluere. quamquam enim contraria ſit multorum & Sancti Thomæ ſententia; poteſt tamen iudex abſque peccato hanc ſequi, ſi aliunde nihil obſtet.

Non licet ſequi opinioné ſpeculatiuè tãtũ probabilem.

2. Obſeruandum eſt, ex probabilitate dumtaxat ſpeculatiuà, non poſſe inferri, licitam executionem, ſed hæc vt maximùm ex probabilitate practicà inferri debet, vt ex ipsâ terminorum explicatione, & communi Theologorum ſenſu eſt manifeſtum.

40. 3. Obſeruari debet; plures eoſque graues Theologos docere, quoties occurrit opinionum de re quâpiam diuerſitas; probabiliorem omnino in re ſequendam eſſe, neque licitè eum operari, qui probabiliore, quæ etiam ſit tutior, poſtpoſitâ, minùs probabilem in praxi ſequeretur. Proinde eiuſmodi ratiocinationem docent rectam non eſſe; Hæc vel illa opinio eſt practicè probabilis, ergo licet ſecundùm eam operari

Digitized by Google

operari. fallit enim ſi eâdem de re, altera ſit probabilior. Ita docent Caietanus in ſummâ verbo *Opinio*, Armilla ibi num. 2. Syluester q. 1. & 2. Nauarrus in Manuali cap. 26. numero 280. Henri. quodlibeto 4. q. 13. Cõradus de contractibus q. vlt. Sotus 3. de Iuſtitiâ q. 6. art. 5. Bannez 2. 2. q. 63. art. 4. Antonius Corduba lib. 2. q. 3. & alij: quibus adſtipulantur Iuriſconſulti communiter. Licet verò opportunum non ſit hoc loco, diſputationem illam prolixam ſanè atque arduam tractare ac definire; prædictam Sapientiſſimorum virorum ſententiam, ad rem præſentem ideo ſolùm adduximus, vt conſtet illationem in argumento 5. poſitam, quemadmodum loquendo de opinione ſpeculatiuè probabili, certum eſt nullam eſſe ac ridiculam; ita loquendo de practicè probabili, vndequaque firmam non eſſe; vt, in re quam tractamus, malè ab aduerſarijs in eiuſmodi ratiocinatione, ſententiæ nouæ extremum præſidium ſit conſtitutum.

Caiet. *Armilla.* *Syluester.* *Nauarrus* *Henri. à Gand.* *Conradus.* *Sotus.* *Bannez.* *Antonius Corduba.*

Et vero multò minus inferri poteſt, quempiam debere ex opinione minus probabili operari in caſu neceſſitatis: Id enim nullâ ratione verum eſt; præſertim quando bonum ſingulare vnius perſonæ, non ſtat cum bono communi, aut reuerentiâ ſacramenti. Vt enim rectè docet Michaël Salon 2. 2. q. 63. art. 4. controu. 2. parens non tenetur emere ſacramentum paruulo morienti (quod tamen probabiliter emere poſſet redimendo vexationem, vel aliâ licitâ intentione) etiamſi aliâ ratione ei ſubueniri non poſſit. & licet Suarez dicat, Adrianum docere patrem ad id teneri

Salon.

ob ſalutem extremam filij procurandam; nullus tamen præterea Theologorum id docuit, neque aliquem citat Suarez tom. 1. de Religione lib. 4. cap. *12.* num. *13.* Et cum ſententia S. Thomæ de condemnando innocentem, probatum tamen nocentem, ſit valde probabilis; quis aduerſariorum concedit, Iudicem qui eſt perſona publica, & publicæ pacis communiſque boni cuſtos, teneri eiuſmodi innocentem condemnare vt bono communi conſulat?

41. His ergo quæ in materiâ morali ad 1. 2. q. *19.* art. *6.* communia ſunt, conſtitutis, ſanè non eſt cur Suarez, Coninck, vel quiſpiam alius in propoſitâ quæſtione, nobis obijciant eorum opinionem, quam hic confutamus probabilem eſſe; ac proinde poſſe nos eam ſequi; imo etiam ad id teneri, cum tunc periclitetur ſalus infirmi. Primò enim, opinio illa (quantumcumque ei demus) ſolum poteſt eſſe ſpeculatiuè probabilis, ex quo nihil ad rem præſentem fieri poteſt vt monuimus: vel, ſi paulò plus concedamus P. Thomæ Sanchez, ſcilicet etiam practicè eſſe probabilem; eſt, vt ille ait, de Matrim. lib. 2. diſput *36.* *parum probabilis, & ſolùm ratione magni periculi ſuſtineri poteſt.* Porrò, quod addunt teneri ſacerdotem, opinionem illam ſequi relictâ aliâ longè probabiliore, ne dicam certâ, ac tutâ omnino, & quæ nullum ſacrilegij periculum inuoluit; tolerari non poteſt: cum neque lex charitatis, neque alia, liget niſi ordinatiſſimè & per media oportuna, non vero periculoſa.

Opinio aiens moribundum cũ ſolo teſtimonio adſtantiũ poſſe abſolui Sacramentaliter, eſt ſolum probabilis ſpeculatiuè.

Ad 6.

Ad *6*. Reſpondetur, quod cum Diœceſanæ Synodo Viſenſi, non acceſſerit Pontificis approbatio; non plus habet conſtitutio propoſita auctoritatis quàm ij à quibus facta fuit: qui contra ſententiam à nobis explicatam, forſitan ſenſerunt, & quod certum eſt, falli quoque potuerunt. Vide Melchiorem Cano, lib. 5. De locis Theolog. cap. 4. & Bellarm. lib. 2. De auctoritate Conciliorum, cap. 1*o*. ne longior nobis eâ de re ſit ſermo, & fruſtra huc producamus plures eiuſmodi Synodos, imo & Prouinciales, quarum dogmata aliquot, veritatis præſidio deſtituta fuiſſe, haud moleſtum eſſet oſtendere. 42.

Ad Confirmationem eodem modo dicitur, Manuale ſeu Rituale illud, vt & alia, alicuius priuati Doctoris operâ confectum eſſe, & illius auctoritatem non excedere, Neque conſenſus Pontificis, aut iuſſio vt conſcriptum fuerit & euulgatum, confert aliquod pondus, rebus quæ in eo perſcribuntur; tum quia non præceſſit ſerium ac ſufficiens Theologorum examen, tum quia Pontifexnon intendit communibus ac receptis ſententijs ſcholarum, vllo pacto præiudicare, propter illius opinionem, cui Manualis ſeu Ritualis editionem commiſit. Sexcenta ſunt exempla quæ adferri poſſunt; ſed breuitati conſulimus. Meminerint aduerſarij, ſe neque conſentaneè ſemper docere, manifeſtæ doctrinæ Catechiſmi Trident. Neque verò Manuali ſeu Rituali iuſſu Pauli Quinti edito, quod nunc obijciunt: quod meridiana luce eſt

clarius, & eorum quibuſdam, in publicis diſputationibus aliquando à me obiectum atque oſtenſum fuit. Monemus deinde, præfati Manualis correctorem non ſatis aduertiſſe, quid ipſemet Pontifex Paulus 5. vnà cum Illuſtriſſimis Cardin. cenſuerit de doctrinâ illâ traditâ à Suarez, vt ſupra diximus.

FINIS.

DIS-

DISSERTATIO
THEOLOGICA POSTERIOR,

De Confeſſione per literas ſeu internuncium.

R. P. FRANCISCI D'AVILA Ord. Præd.

Ad Sanctiſſimum Dominum Clementem 8. *P. Max.*

VETERVM extitit conſuetudo, Beatiſſime Pater, vt gratiarum ſimulachra, iuxta Mercurij ſtatuam Iouis iuſſa ferentis, ſtatuerent: vt ipſius præſentiâ, diuino fouerentur auxilio. fabuloſa ſunt iſta, & tamen, quæ fallaci excorticata tegmine, nucleo veritatis mortaliũ mentes valeant erudire. Tu Sanctiſſime Pater, vna cum Deo Maximo, vnico ſedens tribunali

ſecũdus, orbi Altiſſimi edicta proponis, proprium illius ſenſum exprimis, mores componis, verba denique vitæ ęternæ habes: quorũ ego virtutẽ, animã ad ſe allicientẽ, imo & rapientem intelligens, quod ais, aio, quod negas nego. Sicuti enim vt cõmuni prologuio inſtruimur, *vox populi vox Dei:* quoniã diuinâ inſpiratione plebs cõcita loquitur; ita vox ſermonũ tuorũ, quaſi vox multitudinis. Te namque loquente, ac inſtructe, animo ſuo ſententiã tuam fideles percipiunt: vnoq́; ore verborũ tuorũ perſonant modos. Hunc ergo paruũ libellũ tanto indigentẽ patrono, tibi Dei Nuncio, ſummoq́; poſt Deũ Pęnitentiario, de Pænitẽtiæ ſacramento differentẽ, dico, vt eum celſitudinis tuæ ſub vmbra foueas, ac patrocinio tuearis; vt tuâ protectione ſecurus in æuum permaneat, ac perpetuò vigeat. Vale Sanctiſſime Pater & in æternum viue.

AD LE-

Ad Lectorem.

OPVSCVLVM de confeſſione per literas inter ſacerdotem & pœnitentem abſentes, quod ante decretum Sanctiſſimi edideram; nunc firmiſſimis fundamentis innixum, pluribus argumentis roboratum, amplioriq́; claritatis luce perfuſum, prælo mandatum accipe. Vbi quæſtionem hanc in vtramque partem ventilatam reperies, quæ ſint vtriuſque opinionis fundamenta, quos habeat vnaquæque patronos aperitur. Ac denique affirmatiuâ tamquam falsâ, temerariâ, ſcandalosâ, & in nullo caſu probabili, repulsâ: negatiuam multis titulis eſſe tenendam oſtendimus: Sanctiſſimorum ſummorum Pontificum decretis, ſacriſque Concilijs ſuffragantibus roboramus. Quocumque te vertas, ſiue confeſſionis ſacramentalis cauſalitatem,

ſiue

Digitized by Google

ſiue confeßionis fidei, pænitentiæq́ proportionalitatem, ſiue miniſtri rationem, fixâ mentis acie contempleris: omnia vnâ eademq́ facie ad conſiſtentiam Sacramenti, ſacerdotis pænitentiſque præſentiam efflagitare, abſque aliqua tergiuerſatione fateberis. Abſurda plurima, minimeq́ cohærentia, quæ doctrinâ contrariâ poſitâ ſcaturiunt, & vix annumerari poſſunt, effugies. Tu igitur ſedis Apoſtolicæ decre-

1.Reg.15. *tis obtẽpera.* Melior eſt enim obediẽtia quã victimæ. *Patrũ teſtimonijs acquieſce, neq́ orbitã eorũ deſeras, luculentißimas rationes amplectere, ac ſi in quæſtione hac pertractandâ, diſcutiendâ, diſcernendâ, probandaq́ metam veritatis attingimus: ſummæ, primæq́ veritatis donũ eſſe cogno-*

Cyprian. *ſce. Non enim nos fugit S. Cypriani ſententia*, in nullo gloriandum, quando noſtrũ nihil eſt. *ſi verò (quod ingeniũ eſt*

Iac.3. *hominum*, in multis *namq;* offendimus omnes) *proprij ſenſus amore decipimur: ignoſce viatori, & laborem noſtrum boni conſule. Vale.*

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT I.

Prior ſententia aiens, Confeſſ. abſenti factam, validam eſſe.

PArtem affirmatiuam, videlicet, quod ante decretum S.D.N. Clementis 8. P.M. fuerit liberum vnicuique, vrgente neceſſitate, confeſſario abſenti per epiſtolam confiteri; ſimiliterque per aliam, ab eo abſolutionem ſacramentalem recipere, tenent aliqui Doctores non infimæ notæ. Adrianus in 4. tract. de confeſſione §. *ſed igitur.* ſine aliqua hæſitatione hanc affirmat ſententiam. Michaël de Palacios in 4. diſtinct. 17. diſp. vltimâ verſus finem, eam amplectitur. Candelabrum aureum tract. de confeſſ. num. 26. eidem ſubſcribit opinioni. Dicit eam probabilem Ioannes de Medina, de confeſſ. tract. 2. q. 15. dicto 4. Eidem aſtipulatur Rutilus in ſpeculo Epiſcoporum lib. 1. diſp. 1. concl. 3. aſſerens eſſe probabilem. Nouem quoque viri doctiſſimi in eiuſdem patronos adduci ſolent. Petrus de Palude inſignis doctor, & Patriarcha Hieroſolymitanus, in 4. diſt. 17. q. 1. art. 1. cum enim dixiſſet confeſſionem debere fieri in præſentia ſacerdotis, ſtatim adhibet: *Si tamen pœnitens non poteſt ire, nec accerſere ſacerdotem, non tenetur quidem ſcribere, & mandare peccata, ſi tamen vult, licet ei ſcribere, & mandare; & illi, reſcribere, & remandare abſolutionẽ, & valet abſolutio quandò vterq; eſt in-*

Adria.
Palacios.
Candel. aur.
Ioannes de Medina.
Rutilius.

Palud. *S.Anton.* *eſt infirmus, pluſquam ſi fieret laico.* Paludanum ſequitur & refert S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus 3.parte tit.14.§.9.iuxta quam doctrinã tit.17.c.12.& c.21. §.3. docet in quodã caſu particulari, quandò ſacerdos inualidè abſoluit pænitentẽ, quẽ ſine ſcandalo non poteſt habere præſentẽ, tunc illũ poſſe abſentem abſoluere. Eandem ſententiã Paludani ample-*Syluester.* ctitur Siluester in Summa, verbo *Confeſſio 1.*q. 15.ante mediũ, & in fine & verbo *Confeſſio 3.* in principio, approbat ſententiam S. Antonini in caſu particulari, quẽ præfati ſumus; quod iterum confirmat verbo *Confeſſor 4.§.6.* Idipſum *Tabiena.* docet auctor Summæ Tabienæ verbo *Confeſſio* *Armilla.* num.34. Idẽ ſequitur auctor Summæ Armillæ num.23.facit enim mentionẽ non tantùm ſcripturæ, ſed etiã nuncij, per quem dicit aliquem poſſe confiteri, quando aliã ratione non valet. vnde conſtat illũ loqui de abſenti pænitente; nuncius enim ſine abſentia non eſt. Hanc ipſam opinionem tenet Summa, quæ dicitur *Margari. Confeſſ.* Margarita Confeſſorum. dum enim agit de modo quo debet fieri Confeſſio, folio 3.pag.51. præmittit confeſſionem debere fieri verbo, & præſenti ſacerdoti, ſi fieri poſſit, ac deinde pagina 2.ita proſequitur: *Et quamuis confiteri abſenti per ſcriptum liceat, abſoluere ſimiliter, &c.* vbi manifeſtè fatetur confeſſionem per literas licere, ſimiliter & abſolutionem. Poſt hos Ma-*Petrus de Soto.* giſter Petrus de Soto in Summa lect. 11. de confeſſione, in hunc modum ſuam explicat opinionem. *Ad neceſſitatem ſufficit per interpretem vel per nuncium, aut ſcriptum confiteri, & eodẽ modo, nuncio, vel ſcripto abſolui. tenẽt* (inquit) *hoc*

Digitized by Google

hoc plures noſtrûm, quamquam Caietanus abſentem per ſcriptum, nullo modo putet aliquem poſſe abſolui vt ſit verum Sacramentum. Sed ſecurè aliorum ſententia teneri poteſt, & ratione ſatis probatur ex natura huius ſacramenti, quod eſt iudicium quoddam. Hæc doctiſsimus ille Magiſter: Præterea Magiſter Fr. Dominicus de Soto libro de ratione tegendi, & detegendi ſecretum, membro 3. q. 4. concl. 5. dubio 4. *Forſan* (ait) *poſſet pænitens abſenti ſacerdoti mittere confeſſionem, & ſacerdos remittere abſolutionem vt ait Paludanus.* Quibus innuit hanc ſentententiam ſaltem eſſe probabilem. Nauarrus inſuper in Manuali, c. 21. num. 36. eandem tenet opinionem, & c. 26. num. 14. in caſu illo particulari, quem ſuperiùs retulimus, idem reſpondet quod S. Antoninus. Nec deſunt argumenta quæ hanc opinionem reddant probabilem. *Dom. Soto* *Nauarrus*

Primum eſt. Quoniam ſacramentum à Chriſto Domino eſt inſtitutum, inſtar cuiuſdam actus iudicialis, quod conſtat ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. c. 6. & canone 9. actus autem iudicialis ferendi ſententiam, à iudice abſente eſſe poteſt, & per literas: non igitur eſt ratio, ob quam iure negari valeat, abſolutionis eſſentiâ, eſſe poſſe ab abſente ſacerdote. Quamuis enim ſecretum ſacramentali iudicio ſit annexum, non tamen ita eſt de eſſentiâ illius, vt publica confeſsio materia ſacramentalis eſſe non poſsit.

Secundum eſt. Quia tales circumſtantiæ eſſe poſſunt ex parte pænitentis, & talis notitia Confeſſarij circa ipſiuſmet diſpoſitionem, vt abſolui abſentem pænitentem ſine morali peri-

periculo ſit poſſibile, cuius pænitentis prudentia & in agendis bonitas nota eſſet confeſſario, cum diligentia conſeruandi debitam diſpoſitionem, vſque ad horam ab abſente conſignatam.

Neque aduerſus hanc ſententiam adfertur aliquod S. Scripturę teſtimonium, aut Sanctorum Patrum auctoritas, vt propterea iudicari debeat temeraria. Quamuis etiam S. Auguſtinus in cap. *Quem pænitet*, de pænitentia, diſt. 1. & S. Thomas in 4. diſt. 3. confeſſionem doceat debere fieri in præſentiâ, intelligi tamen poſſunt, quando confeſſio eâ ratione fieri poteſt; in quo caſu nulla eſt controuerſia: neque enim illi docent, nullam futuram abſolutionem latam in abſentem pænitentem bene diſpoſitū, & expectantem abſolutionem hora à confeſſario ſignatâ.

S. Aug.
S. Tho.

Tertium eſt. Quia nullus S. Scripturæ locus ſonat oppoſitum, neque id aliquod definit Concilium, neque aliquâ vetuſtâ traditione firmatur, ergo non eſt vnde taliter iſta ſententia roboretur, vt oppoſita temeritatis arguatur.

Quartum eſt. Conſtat Chriſtum Dominum potuiſſe pænitentiæ Sacramentum inſtituere ſub illa forma & latitudine, quę confeſſionem, abſolutionemq; per literas inter abſentes amplecteretur, nec deſunt veroſimiles coniecturæ, quæ ita inſtitutum eſſe confirmēt; eſt enim pænitentię ſacramentum communis omnium infirmitatum ſpiritualium, quas poſt baptiſmum contrahimus, medicina; vt vniuerſis neceſſitatibus in euentu quocumque medeatur: erit

erit auté ſuauis medendi modus, vt qui nõ poteſt habere præſenté ſacerdoté, cui ſuorũ criminum aperiat vlcera; per epiſtolam quærat abſentem, quem conſulat, ſua illi peccata detegens, vt ab illo, ſcripto, pharmacum abſolutionis ſacramentalis recipiat.

Quintum eſt. In confeſsione abſolutioneque per literas inter abſentes, eſt vera materia formaque ſacramenti pœnitentiæ, puta peccatorum integra, & lachrymoſa confeſsio, & ſingulorũ accuſatio, ſententiaque ſimul & abſolutio: ergo eſt verum ſacramentum. Sed fortè quiſpiam obijciet ex Concilio Florentino, in decreto Eugenij ſeſſ. 14. c. 6. quod forma Sacramenti pœnitentię in his verbis conſiſtit, *ego te abſoluo*, quę non poſſunt inter abſentes verificari; cum illud pronomen, *te*, perſonam indicet præſentem. Huic autem obiectioni facilè poteſt obuiari, aſſerendo iſta verba formæ à ſacerdote prolata, poſſe dirigi ad abſentem, quia non ſunt demonſtratiua; aut ſi opus fuerit, ſcripto mandari: atque ita perſona demonſtrabitur quæ abſoluenda eſt. Quod licet ſit dubium; non tamen euidenter eſt falſum, ſed probabile.

Sextum eſt. Ex hac doctrina nullum ſequitur inconueniens, ſi enim dicatur quod pœnitens ſe exponit periculo ſuà crimina propalandi, facile reſpondetur, quod confeſſionis epiſtola, nuncio prudenti ac fideli debeat demandari; ſi ſic autem non vitetur periculum, non eſt magnum inconueniens, imo eſt humilitatis opus, vbi pænitens criminum ſuorum vilipendit infamiam, vt ſacramenti fructus

conſequatur. Si vero quiſpiam opponat, quod dum confeſſarius per literas abſentem abſoluit, poteſt contingere, quod pęnitens è vitâ deceſſerit, vel propoſitũ recipiendi ſacramentum mutauerit, aut aliquod lethale crimen commiſerit; vnde forma, abſolutionis ſacrilegæ, caſſa reddatur: poteſt huic obiectioni reddi reſponſum, non reputari hoc inconueniens in Sacramento Matrimonij inter abſẽtes celebrato, quod eſt verè & propriè legis nouę ſacramentum; nec tamẽ requiritur præſentia contrahentium, vt conſtet de eorum vitâ, & rectâ diſpoſitione, ſed ſola moralis ſufficit probabilitas. Idipſum de pœnitentiæ ſacramento aſſeuerare licebit, ſiquidem par eſt in vtroque ratio. ſatis inquam erit per alios de pænitente, & de eius vitâ, per literas informari. Videmus enim quãdo quis repentinâ morte præuenitur, nec manet in eo ſenſus, vt verbis vel nutibus aliquod valeat confiteri peccatũ, ſatis eſſe, vt alij aſtantes, qui eum rationis cõpotem viderunt, de ſuâ confeſsione, & doloris oſtenſione ferant teſtimonium, vt rectâ ratione poſsit ſacramentaliter abſolui, ex quo patet, in caſibus tantæ neceſsitatis, non eſſe petendam notitiam euidentem, ſed ſatis eſſe probabilem.

Septimum eſt. Ex cap. *qualis* 30. q. 5. vbi habetur, quod adulterę pænitentia per ſcripturã recipienda eſt: igitur confeſſio per literas eſt valida. His argumentis & grauium Auctorum teſtimonijs, affirmatiua ſententia vtcumque probata manet.

CA-

CAPVT II.

Auctores partem negatiuam tenentes referuntur.

NEgatiuam ſententiam, ſcilicet, confeſſionẽ, & abſolutionẽ inter abſẽtes celebratas eſſe inualidas, tenẽt innumeri Doctores. ita S. Auguſtinus in libro de verâ & falsâ pænitentiâ cap. 10. & refertur de pœnitentia diſt. 1. c. *quem pænitet.* vbi ait: *quem ergo pœnitet, omnino pœniteat, & dolorem lachrymis oſtendat: repræſentet vitam ſuam Deo per Sacerdotem, præueniat iudicium Dei per confeſſionem: præcepit enim Dominus mundandis, vt oſtenderent ora Sacerdotibus: docens corporali præſentiâ confitenda peccata, non per nuntium, non per ſcripturam manifeſtanda.* S. Aug.

S. Thomas in additionibus ad 3. partem q. 9. art. 3. ſic inquit. *Homo ita tenetur ad confeſſionem peccatorum ſicut ad confeſſionem fidei, ſed confeſſio fidei ore eſt facienda, vt patet ad Romanos 10. corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, ergo confeſſio etiam ore ad os facienda eſt.* Idem probat latius in corpore art. S. Thom.

Catechiſmus Romanus de conditionibus requiſitis, & circumſtantijs requiſitis ad confeſſionem §. *Sed quoniam* in fine ita inquit. *Illud vero tum confitenti, tum ſacerdoti laborandũ eſt maximè, vt eorum ſermo in confeſſione ſecreto ha-* Catech. Rom.

Digitized by Google

to habeatur. Quare ſit, vt nemini omnino neque per nuncium, neque per literas; quoniam ea ratione nihil occultè, iam agi poteſt peccata confiteri liceat. hæc ſententia eſt communis Theologorum in 4. ſententiarum diſt. 17. Scotus eam

Scotus. amplectitur in eodem loco ad 4. vbi ait. *Ad aliud de barbaro, dicitur; quod debeat confiteri per interpretem, ſed non audeo aſſerere, ſed expectet cum propoſito confitendi, cum habebit ſacerdotem præſentem, cui poteſt loqui. Idem dicerē de non habente ſacerdotem præſentem. quod quidā dicunt, quod debet confiteri per ſcripturam: hoc eſt contra naturam ſacramenti huius: quia iſte actus, quantum eſt de ſua natura, debet eſſe priuatus: ſed actus ſcripturæ de natura ſua eſt publicus,* & in eodem 4. diſt. 17. circa finem §. *ad aliud,* inquit. *Videtur quandoque confeſsio facienda per ſcriptum, vt legitur de Thoma Epiſcopo Cantuarienſi qui miſit ad Curiam pro abſolutione: ſed hoc videtur eſſe contra rationem confeſsionis, quia omnis ſcriptura ex ſui naturâ, nata eſt eſſe publica.*

Gabriel. Gabriel in 4. diſt. 17. §. *additur etiam,* inquit: *Non enim tenetur quis per ſcriptum, neque per interpretem, ſeu per nuncium, ſecundum D. Auguſtinum de vera & falſa pænitentia, quoniam ſecretiſsimum debet eſſe pœnitentiæ forū* & infra. *Sic etiam quia ſcriptum de natura ſua eſt patulū, quia omnibus loquitur legentibus, intelligentibuſque: per ſcriptum ad confeſſorem miſſum non debet fieri confeſsio.*

Caiet. Dominus Caietanus in Summâ, verbo cōfeſsio conditione 11. ait, *ſecreta, excluſione internūcij, epiſtolæ, & teſtis, ex eo quod confeſsio fit*

ſacerdoti

ſacerdoti in perſona Dei, excludũtur teſtes: ex eo vero quod ſacramentalis tam actio quam paſſio perſonalis eſt, excludũtur tam epiſtolæ quã nuncij. Durandus in 4. diſt. 17. quæſt. 25. ad ſecundum inquit. *Confeſſio oris debet fieri integrè Dei miniſtro licet per varia ſigna.* & infra. *In pœnitẽtia requiritur per ſe actus pœnitentis, ſcilicet ad quod manifeſtet peccata ſua ſacerdoti.* Vbi manifeſtè ait confeſsionem debere fieri ore, & per actum proprium pænitentis, quo apertè excluduntur literę. Et in 4. diſt. 26. quæ. 2. ad primum inquit. *Non poteſt confiteri pro alio.* Vbi non ſolum reijcitur nuncius, ſed etiam epiſtola; ad paria namque iudicantur. **Durãdus.**

Dominus Cardinalis à Toleto in inſtructione ſacerdotum, lib. 3. c. 6. §. 4. ait. *Per nũcium vero aut per literas abſente pœnitente, confeſſio non eſt; non eſt enim verè actus pœnitentis certus; poteſt enim intermedio tempore animum mutare, poteſt eſſe fraus, poteſt obijſſe: denique nõ eſt pœnitentiæ propinqua materia, quæ actus eſt pænitentis.* Magiſter Cano. l. 8. de locis Theologicis c. 5. §. *pænitentiæ*, contra quoſdam Doctores tenentes matrimonium inter abſentes celebratum, eſſe ſacramentum, inuehitur. *Concedant* (inquit) *illi ſacramenta Chriſti, abſentibus adminiſtrari, eiſdemque & gratiam conferre, & peccata remittere: nos enim, quoniam hæc abſurda ſunt, concedere potius volumus eiuſmodi contractus qui inter abſentes tranſiguntur, matrimonia quidẽ veriſsima eſſe, vera ſacramẽta nullo modo.* Vbi apertè inquit abſurdum eſſe, quod ſacramenta eccleſiæ, abſentibus adminiſtrentur, eiſdemque & gratiam & peccatorũ **Toletus.** **Cano.**

Digitized by Google

Victoria. remiſsionem conferant. Victoria in Summa. §. 174. inquit. *Quæritur an poſſet aliquis confiteri per ſcripturam, maximè quando non poteſt voce? Paludanus in 4. diſt. 17. quæſt. 2. & Maior in 4. diſt. 27. quæſt. 1. dicunt, quod ſi ſacerdos eſt præſens, qui non poteſt voce, tenetur ſcripto, confiteri. ſed ego dico cum Caietano, Scoto, & Richardo, quod talis non tenetur ſic confiteri: quia nemo tenetur prodere peccata ſua extra confeſsionem.* Et infra. *Sed vtrum poſsit confiteri ſcripto, dubium videtur, nam ſcriptura & nuncius in hoc conueniunt, quod ſcriptura non eſt confeſsio; quãuis poſſet, qui dat ſcriptum annuere, quod confitetur illa ſcripta, & iam videtur quod eſſet idem iudicium, ſicut de confeſsione quæ eſt vera confeſsio, & tandem ita credo, & teneo, quod licitè tunc fit ſcriptura, ſi ſignis annuat, quod confitetur illa.* Vbi manifeſtè tenet, quod confeſsio per literas nihil valet, etiam in præſentia, niſi nutibus annuat illa confiteri, quæ ſunt ſcripta.

Dom. Soto. Magiſter Soto in 4. diſt. 18. quæſt. 2. art. 6. inquit, relatâ opinione Paludani, *At vero cõfeſsio hæc non ſolum non cadit ſub obligatione, verum certè non eſt valida.* Et paulo inferius, dictum hoc probat dicens. *Ratio ergo huius veritatis eſt, quam ſupra tetigimus, videlicet, quod confeſsio eſt actus perſonalis, quo homo præſenti ſacerdoti loquitur.* Summa Angelica, verbo cõfeſsio 1. §. 32. dubitat vtrum quis poſſet confiteri per interpoſitam perſonam, vel per ſcriptum? Et reſpondet quod non, loquẽdo de confeſsione prout eſt ſacramẽtum, ſecũdũ Theologos communiter & facit de pænitẽtia, diſt. cap. *quẽ pænitet.* & infra inquit. *quod eſt contra*

rationem

rationem ſacramenti. Henricus Henriquez in Summa, lib. 2. de pęnitētia cap. 2. nu. 7. inquit. *Si confeſsio per literas, aut nuncium facta ſit abſenti ſacerdoti, quando nec illum adire, nec accerſere poteſt; non debet à Confeſſario in abſentia abſolui.* Raymundus in Summa tract. 4. ca. 7. folio 126. §. 3. *notandum*, ait: *Dubitaret aliquis, an per ſcriptum, nuncium, vel procuratorem, aliquis poſſet confiteri? reſpondetur: in quantum confeſsio eſt actus ſacramentalis diuinæ inſtitutionis, tunc non debet fieri per ſcriptum, nec per nūcium, ſed tempore neceſsitatis ille actus eſt meritorius.* Summa Tabiena, Confeſsio 2. §. 34. inquit, *Quæritur vtrum poſsit aliquis confiteri per interpretem, vel nuncium, vel per ſcriptum? Reſpondet Angelica quod non.* & addit infra. *Ex his igitur patet. 1. quod quando aliquis poteſt loqui, tenetur verbo præſentialiter manifeſtare peccata ſua.* & infra 4. *Quando ſacerdos non eſt præſentialiter, non debet per literas ad abſentem, quamuis poſsit ſacerdoti præſenti, & ſecundū Petrum etiā abſenti ſed debet confiteri laico præſenti, de bene eſſe.* Hēriquez. Tabiena.

Summa Piſana, Confeſsio, 1. dubitat vtrum liceat cōfiteri per perſonā, vel per ſcripturam? *Reſpondeo* (inquit) *ſecundum S. Thomam, vbi ſupra, quamuis ad confeſsionem, prout eſt actus virtutis ſufficeret qualitercumque fieret, ſecūdum tamen quod eſt pars ſacramenti, habet determinatum actum, ſicut & alia ſacramenta habēt determinatam materiam.* Et infra. *Ita in cōfeſsione ille actus aſſumitur quo maximè conſueuimus manifeſtare ſ. propriū verbum.* Et infra. *In abſentia autē proprij ſacerdotis nō oportet quod per ſcriptū fiat cōfeſsio.* Iudoc⁹ Chlithoueus, de ſacramēto Piſana. Chlithou.

Digitized by Google

pœnitentiæ cap. 17. inquit, *Ad quid rogo conceſsit Chriſtus Apoſtolis poteſtatem ligandi peccata: niſi oſtenſio eorum ſacerdoti ſoluenti ac liganti, faceret ipſa crimina eſſe nota? vnde Auguſtinus in lib. de pœnitentia, & ponitur diſtinc. 1. Quem pœnitet. §. hinc Gregorius Moralium libro 8. cap. 15. ſuper illud Iob. Quapropter & ego non parcam ori meo, ſic dicit. Ori ſuo parcit, qui confiteri malum quod fecit, erubeſcit: ſed Iuſtus ori ſuo non parcit, quia iram iudicis diſtricti præueniens, verbis contra ſe propriæ confeſsionis ſæuit.* Et infra. *Ad idem eſt ille diſcipulus antiquus Beati Petri Sanctus Clemens, qui parte 1. libr. 1. Conciliorum ait in hæc verba. Quod ſi alicuius cor, vel liuor, vel infidelitas, vel aliud malum ex his, quæ ſupra memorauimus, latenter irrepſerit, non erubeſcat, qui animæ ſuæ curam gerit, confiteri huic qui præeſt, vt ab ipſo per verbum Dei, & ſalubre conſilium curetur.* Vbi apertè Chlirhoueus dicit talem debere fieri confeſsionẽ, quæ faciat crimina pœnitentis nota ſacerdoti. Hęc autem ſola confeſsio facialis eſt. In cuius confirmationem adducit S. Auguſtinum c. quem pœnitet, vbi apertè hanc docet ſententiam.

S. Greg. — S. Clemẽs.

Angles. Ioſephus Angles in floribus Theologicarũ quæſtionum, in 4. ſententiarum, quæſt. de confeſsione, difficultate 8. ait. *Talis confeſsio, ſcilicet per internuncium vel literas facta, non eſſet ſacramentalis.* Summa Confeſſorum Ioãnis de Friburgo, lib. 3. de confeſsione, & abſolutione tit. 34. quęſt. 76. dubitat vtrum ſufficiat confiteri per nuncium & per literas? *Reſpondeo* (inquit) *quod quamuis inquantum eſt actus virtutis, poſsit confeſsio per nuncium, vel per*

Ioannes de Friburgo.

per epiſtolam fieri, in quantum vero eſt pars ſacramenti habet determinatam materiam ſcilicet, actum quo præcipuè conſueuit conſcientia omnis manifeſtari. Et infra. *etiam ſi ſacerdos eſt abſens, non oportet ei per nuncium, vel per ſcripturam confiteri: ſed tunc poteſt, ſi vult etiam laico confiteri*. Iacobus Graphijs lib. 1. de interrogationibus cap. 24. numero 31. dicit, confeſsionē factam per epiſtolam inualidam eſſe. Goffredus Tranenſis, de pœnitentijs & remiſſionibus num. 19. inquit. *Confiteatur quiſque ſacerdoti per ſemetipſum, non per nuncium vel per ſcripturam, vt in prædicto Canone quem pœnitet. nec obſtat alius Canon qui dicit pœnitentiam per ſcripturam recipiendam 30. q. 5. c. qualis in fine, illud enim intelligitur, non de pænitentijs in confeſsione, ſed de ſacerdotis iniunctione, quæ in ſcriptis redigitur ne obliuioni mandetur*.

Graphiis.

Goffredus.

Summa Baptiſtiniana verbo. *Cōfeſsio ſacramentalis*, quæſt. 7. §. *Vtrum liceat*, inquit; *Vtrum liceat per interpretem confiteri, vel per ſcripturam*. Et paulo inferius *neque quis debet confiteri ſacerdoti abſenti per ſcripturam, quia imminerent multa pericula*. Summa Roſella caſuum conſcientię, verbo confeſsio 1. num. 8. inquit. *Sed numquid ſufficit ſi aliquo pœnitente præſente, coram ſacerdote, quod aliquis dicat peccata eius, in præſentia eius? Reſpondetur quod nō: quia per ſeipſum vt dictum eſt, non per alium, nec per nuncium, nec per ſcriptum, debet quis confiteri. de pœnitentia diſt. 1. Quem pœnitet*. Ledeſma 2. parte quæſt. 8. art. 3. dubio 1. ait, quod confeſsio quæ fit per nuncium, non eſt ſacramentalis, nec verum ſacramentum: pari autem incedunt

Baptiſtiniana.

Roſella.

Mart. de Ledeſma.

cedunt paſſu confeſsio per nuncium, & per literas in abſentia ſacerdotis. Et dubio 3. loquens de confeſsione per literas, in præſentia ſacerdotis, inquit. *Et licet ſola ſcriptura, non ſit confeſsio eſt tamen cum ſignis quæ ſequuntur, quia nutibus fatetur ſe illa peccata feciſſe, igitur multo minus in abſentia erit ſcriptura confeſsio.* Eſt etiã hæc ſententia communis Canoniſtarum.

Turrecre. Turrecremata ſuper cap. *Quem pænitet,* de pænitentia diſt. 1. queſt. 1. & 2. probat nõ teneri peccatorẽ abſenti ſacerdoti confiteri. Plus autem probat quam proponit; vtitur enim rationibus S. Thomæ concludentibus talẽ confeſsionem eſſe inualidam. *Socinus.* Socinus ſenior cap. ſuper eo de ſententia excommunicationis, nu. 9. verſu, *aut loquimur.* & ait. *Aut loquimur de pænitentia in foro ſacramentali: & talis non poteſt peti per procuratorem.* Ita procedit opinio Innocentij & Hoſtienſis, eadem autem eſt ratio confeſsionis *per literas, vt dictum eſt.* Vgolinus tract. de cenſuris tabulâ 1. cap. 19. §. 1. nu. 2. inquit, *abſolutio à culpa, per præſentem tãtum ſuſcipi poteſt.* Et de ſcripturâ idẽ confirmat, de pænitẽtia, c. 15. n. 1. §. *ipſemet.* *Vgolinus.* *Nauarrus.* Nauarrus c. *Fratres,* de pęnitẽtia, diſt 5. n. 94. inquit: *Pro tertio intelligẽdi modo eſt caſus in illo cap. quẽ pænitet, in principio, ibi, corporali præſentia ſunt confitenda peccata, non per nuncium, nõ per ſcripturã manifeſtanda. Pro hoc etiã facit abſolutionis forma, quæ habet abſoluo te, quæ præſupponit abſoluendum eſſe præſentem.* Ex quo ſequitur, neque per procuratorẽ, neque per ſcripturã, neque per nuncium cõfeſsionem fieri poſſe, neque abſolutionem.

Lãcelotus. Ioannes Paulus Lancelotus in Inſtitutionibus

bus iuris canonici lib. 2. titulo 5. §. *conſtat igitur* ſuper illo verbo *Canonica*. Confeſsio eſt canonica peccatorum corã proprio ſacerdote facta declaratio. Gloſſa in verbo *Canonica*, ait. *ſed an ſit canonica, ſi quis velit per nuncium, vel epiſtolam confiteri, & videtur, vt 30. quæſt. 5. cap. qualis. Tu dic contra, cap. quem pænitet, diſt. 1. Et hic eſt vnus ex caſibus, in quo non poteſt quis per alium, quod poteſt per ſeipſum, nec obſtat contrarium quia non dicitur ibi, quod in ſcriptis confeſſio recipiatur.* Gloſſa in Regula. *Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum:* circa verbum illud (*Poteſt*) *eſt regula 68. de reg. iuris vbi excludit ab hac regula pœnitentiã ſacramentalem, quia nemo poteſt per alium confiteri, ſed neceſſario per ſeipſum.* Maiolus Senior de irregularitate libr. 1. c. 25. nu. 2. inquit. *ſurdaſter non poteſt confeſsiones audire, propter impoſsibilitatem miniſterij abſolutionis, quæ ſupponit audita eſſe, & intellecta peccata per aures; nam confeſsio per ſcripturam fieri non poteſt: quia cum cõfeſsio ſit pars ſacramenti, habet determinatum actum, ſicut alia ſacramenta habẽt determinatam materiam.* Cũ dicit quod cõfeſſio per ſcripturã fieri non poteſt; manifeſtè vult intelligi, quod abſolutè & ſimpliciter, nõ poſsit fieri, ita quod ſi attentetur, nõ valebit cõfeſsio. Habet enim determinatũ actũ pro materia, puta actũ proprium pænitentis: ſcriptura vero nõ eſt actus determinatus, & proprius pænitentis, quando exhibetur in abſentia, vt pars ſacramenti. *Regula iuris.* *Maiolus.*

Archidiaconus in cap. *quem pænitet*, de pænitentia, diſtinct. 1. num. 1. ait. *Confitendum eſt per ſeipſum proprio ſacerdoti, & non per nuncium,* *Archidiac.*

neque

neque per ſcriptum. Quod aſſerit ſententiæ S. Auguſtini conſentiens. Stephanus à Caiet. in repetitione cap. *ad limina* 3.queſt.1.num.100. & num. 383. inquit. *An autem abſolutio fieri poſsit per literas? Reſpondeo ſecundum Gloſſam Raymundi, & in ſumma confeſſorum lib. 3. tit. 34. quæſt. 77. quod non. ſed pænitens præſens, à ſacerdote præſente poteſt abſolui. Facit de pænitẽtia diſt. 1. quem pænitet. Ex quo patet quod eodem modo, non poſsit fieri per nuncium.* Eandem ſententiam, tanquam veram, communem, & ſine controuerſia receptam amplexati ſunt ſapientiſsimi viri legum Caſtellæ collectores iuſſu Regis Alfonſi, qui cognomento dictus eſt ſapiens, partita 1.tit. 4. lege 30. cuius legis ſumma hæc eſt. *Confeſsionem ſacramentalem nullatenus debere fieri per nuncium, aut per literas abſenti ſacerdoti ſed in præſentia*, & ſumpta hæc eſt ex capite *quem pænitet*. de pęnitentia diſt.1. Gregorius Lopez in præallegata lege eandem tenet ſententiam. huic adſtipulatur Emanuel Rodriguez in ſumma p.1. cap. 51. S. Antonius de Padua dominica. 14. poſt Trinitat. circa illa verba oſtendite vos ſacerdotibus. cuius verba referuntur infra cap. 11.

Stephanus à Caieta. — *Collectores legũ Regni Caſtellæ.* — *Gregor. Lopez.* — *Rodriguez.* — *S. Anton. de Padua.*

Corradus, de reſponſis caſuum conſcientiæ, quæſt. 68. §. circa eos ait. *Non eſt quoque probandum quod Paludanus dicit, vt quis ſacerdoti abſenti per literas confiteri poſsit, quia confeſsio eſt actus perſonalis, quo homo præſenti ſacerdoti loquitur* & §. *redeo iterum*, inquit. *Adhuc eſt alia ratio, quia ſacerdos non eſt certus, an illæ literæ ſint pænitentis, & fortè animus eius mutatus eſt &c.*

Corradus.

Antonius

Digitized by Google

Antonius Cuccus Inſtitut. lib. 5. titul. 4. de ſacramento pœnitentiæ dicit. *Abſentem vero per literas, aut per nuncium peccata confiteri non licet, quia ſecreta, & occulta eſſe hoc pacto non poſſet, quod præter Theologos, & Summiſtas Iuris Canonici, Catechiſmus quoque edocet, quod etiam tradiderunt Richardus, Adrianus, Caietanus; & Didacus Couarruuias, Hypolitus de Marſilijs in libro de Minore 10. §. Plurimum quoque. ff. de quæſtionibus in illa verba, plurimum quoque, in excutienda veritate, etiam vox ipſa, & cognitoris ſubtilis diligentia, affert. Nam & ex ſermone, & ex eo, quâ quis conſtantiâ, quâ trepidatione quid diceret. §. Infert ex illis verbis ad textum, in cap. quem pænitet de pænitentia, diſt. 1. quod nullus debet confiteri per nuncium, aut per ſcripturam.* Et quamuis aliqui ex Doctoribus ſupra citatis dicant, quod non debet, aut non licet, aut non poteſt fieri confeſſio per literas; intelligendi ſunt docere huiuſmodi cōfeſsionem eſſe inualidam, quod eorum probationes oſtēdunt. Imo vero ex ipsâ ſignificatione verbi, *poteſt aut debet*, ſæpe intelliguntur de debito neceſsitatis ſacramenti; ſicut S. Thomas additio. ad tertiam partem quæſt. 9. art. 3. ad 2. ait. *Quamuis homo non poſsit .i. debeat baptiſmum accipere niſi in aqua*. Vbi cum diſcernat baptiſmum à pœnitentia, penes hoc quod pænitentia nullum habet actum peculiarem ſignatum pro materia, ſed vnum vel alterum, nō eſt aliquis neceſſarius neceſsitate ſacramenti. Vnde in vno, & in alio poteſt fieri ſacramentum, ſiue verbis, ſiue nutibus, pro neceſsitate. Cæterum baptiſmus habet determinatam materiam,

Cuccus.

Digitized by Google

materiam, puta, aquam neceſſariam, neceſsitate ſacramenti: quare homo nec poteſt nec debet baptiſmum recipere niſi in aquâ, vt inquit S. Thomas, ſcilicet debito neceſsitatis ſacramenti. Eodem ergo debito debet fieri ſacramentum pœnitentię actu proprio pænitentis, & non per epiſtolam.

CAPVT III.

Monſtratur confeſsionem quæ ſacerdoti fit, eſſe Sacramentum.

SEntentiam hanc quæ tot Auctoribus eſt in confeſſo, à primis ſuis principijs ſumendā cenſui: vt cum profundius fundamenta deſcenderint, firmius ac fælicius opificium aſſurgat; atqui quamuis confeſsionem ſacramentalem in antiqua lege, multis cernamus adumbratam figuris, à Prophetis multo ante præuiſam, à Chriſto domino vſque nunc ſemper in Eccleſiā receptā, ab Apoſtolis eorumque Succeſſoribus per totum terrarum orbē prædicatam: inuidia tamen diaboli, quę peccatum in hunc mundum inuexit, adhuc fouere, ac per ſua mēbra, medicinæ pœnitentię, à verbo Dei (quod vniuerſa ſanat) exhibitæ, venena infundere nō deſiſtit. Iacobitæ diaboli membra fuere, qui dicunt non eſſe neceſſarium ſacerdoti confiteri, ſed ſufficere peccata ſua ſoli Deo proponere. Quâ de re, etiam iuxta ſe ponunt ignem & incenſum quando Deo confeſsionem

Iacobitæ.

feſsionem emittunt, in ſignum, quod in tali cōfeſsione Deus eorum peccata vrendo conſumit. Meſſaliani, peccata dimittebant, nullâ habitâ ratione pœnitentiæ, ſeu Canonum eccleſiæ. Noui Manichæi aſſeuerant confeſsionem peccatorum, quæ fit ſacerdotibus Romanæ eccleſiæ, nihil valere pænitus ad ſalutem: neque Papam neque aliquem alium de Romana Eccleſia habere poteſtatem abſoluendi aliquem A peccatis. Albigenſes docent peccata nullatenus eſſe confitēda. VValdenſes ſeu Picardi cōfeſsionem auricularem eſſe nugacem affirmant, ac ſufficere ſua quemque in cubili ſuo, Deo confiteri peccata. Eraſmus Roterodamus profitetur confeſsionem ſecretam ſingulorum peccatorum, non modo non eſſe iure diuino inſtitutā aut imperatā, ſed neque in vſu antiquæ Eccleſię fuiſſe. Petrus Oxomenſis peccatorum confeſsionē in ſpecie affirmabat non eſſe de iure diuino, ſed ex aliquo inſtituto vniuerſalis Eccleſiæ. Martinus Lutherus tenet, dum volumus omnia peccata purè confiteri, nihil aliud facimus, quā quod Dei miſericordiæ nihil volumus relinquere ignòſcendū.

Meſſaliani *Manichæi.* *Albigenſes* *VValdēſes.* *Eraſ. Rot.* *Pet. Oxom.* *Lutherus.*

Ita hæretici qui ex patre diabolo ducunt originem, patris ſui voluntatem implere deſiderant, dum cōfeſsionis ſacramentum varijs cōmentis nituntur diſcindere; cum tamē Spiritus Sanctus, in ſcriptura ſacra ſæpius nobis hāc confeſsionē indixerit, ac foueat. *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Sic Chriſtus Dominus Mathæi 18. Locutus eſt ad Apoſtolos. Amen dico vobis, *quæcumque alligaueritis ſuper terrā, erunt ligata & in cælo, & quæcumque ſolueritis*

Matth. 18.

ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo. I-
Luc. 17. tem Lucę 17. *Ite oſtendite vos ſacerdotibus,* &
Ioan. 22. Ioannis 20. & 22. *Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Iterum Pro-
Prou. 28. uerb. 28. *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea,*
Act. 19. *miſericordiam conſequetur.* Et Actorum. 19. *Multique credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus ſuos:* ſcilicet offenſas ſuas,
Iacob. 5. vt habet textus ſyriacus. Et Iacobi, 5. *Confitemini alterutrum peccata veſtra.* Hanc confeſſionem nobis ſcripto ſimiliter recommenda-
Nyſſenus. uerunt antiqui patres. Gregorius Nyſſenus in oratione ad eos qui durius, & acerbius alios iudicant; *Afflictionis* (inquit) *participem & ſocium ſume tibi Sacerdotem, vt patrem; audacter oſtende illi quæ ſunt recondita animi arcana, tamquam occulta vulnera medico retege: ipſe & honoris, & valetudinis tuæ rationem habebit.*
Chryſoſt. S. Chryſoſtomus homilià 20. in Geneſim, *Qui hæc facit, & ſi voluerit ad confeſſionem facinorũ feſtinare, & medico oſtendere vlcus, qui curet & non exprobret, atque ab illo remedia accipere, & ei ſoli loqui nullo alio conſcio, & omnia dicere cũ diligentia: facilè ſua peccata emendabit, confeſſio enim præteritorum eſt abolitio delictorum.* D.
Cyrill. Hyeroſ. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi primâ ait. *Tempus præſens eſt tempus confeſſionis, confiteare quæ perpetraſti, ſiue verbo, ſiue opere, ſiue noctu ſiue interdiu; confitere, confitere tempore acceptabili, & in die ſalutis.*

Sozom. Sozomenus lib. 7. ſuæ hiſtoriæ capitul. 16. *Cum prorſus non peccare, naturæ ſit humana diuinioris:*

Digitized by Google

uinioris: pænitentibus autem, quamuis frequenter deliquiſſent; veniam dare iuſſerit Deus; & ad impetrandam veniam, confiteri peccata neceſſarium eſt. Olympiodorus in c.10. Eccleſiaſtæ. *Si peccati ſerpens mordeat in ſilentio, hoc eſt; ita vt peccator admiſſum ſcelus confiteri nolit, nullam poterit ſalutem præſtare, qui ſanctâ excantatione curandum ſuſcipiat, peccata ſua non confitentem.* Tempus me deficiet maiorum noſtrorum dicta ſimilia narrantem. *Olympio.*

Ex ijs notiſſima ratio deſumitur, quâ Pænitentiã ſeu Confeſſionẽ eſſe ſacramentũ, ab effectu euidẽter oſtẽditur; & eſt huiuſmodi. Solũ Sacramentũ nouæ legis à peccato purificat; confeſſio autem ad purificandum hominem à peccato poſt baptiſmum commiſſo deſtinatur: Ergo eſt verè & propriè ſacramentum. maior patet; quia ſola, & omnia nouæ legis ſacramenta habent, condonare peccata per gratiam quam conferunt, quemadmodum patet in baptiſmo, in quo quia originale peccatum remittitur, per gratiam quam confert, rationem ſortitur ſacramenti. Minor fit euidens ex illo Ioannis iam citato, *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* Vndè cum confeſſio ſit remedium contra actuale peccatum; plus habens de ratione peccati, quam originale, erit etiam ſacramentum. Non oportet in re conſtanti tempus terere, hoc enim habet Eccleſiæ antiqua traditio.

Iterum autem ratione palmari, ab ipsâ ratione ſacramenti deſumptâ, idipſum confirmatur. Sacramentum nouæ legis, eſt rei ſacræ ſignum, conferens gratiam; cæterum in ſacra-

Digitized by Google

mento pænitentiæ per actus externos tam pænitentis, quam ſacerdotis abſoluentis, aliquid ſanctum ſignificatur, nam peccator pænitens his quæ loquitur & facit, cor ſuum à peccato receſſiſſe demonſtrat: Similiter ſacerdos per ea quæ dicit & operatur, Dei operationem remittentis peccata ſignificat, & exercet; ergo eſt verè & propriè ſacramentum. Præterea hæc definiêre ſacra Concilia, Conſtantienſe contra Ioannem Hus; Toletanum quod mandato Sixti 4. Dominus Alphonſus Carillo Archiepiſcopus Toletanus contra Petrum Oxomenſem coëgit, poſteaque per ſummum Pontificem fuit confirmatum. Tridentinum itidem ſeſſ. 14. canone 1. Ita definit, *Si quis dixerit, in Catholica Eccleſia pænitentiam non eſſe verè, & propriè ſacramentum, pro fidelibus, quoties poſt baptiſmum in peccata labuntur ipſi Deo reconciliandis, à Chriſto Domino inſtitutum, anathema ſit.*

Conc. Cõſtant. Toleta. Trid.

CAPVT IIII.

Monſtratur Confeſsionem ſacramentalem iure diuino inſtitutam eſſe.

DEINDE oportet præmittere, confeſſionem ſacramentalem eſſe diuino iure à Chriſto inſtitutam, tametſi iugum hoc leue à ceruicibus fidelium hæretici conentur excutere. Petrus Oxomenſis, vt ſuperiori capite patuit, hanc docuit hæreſim: quam ſimiliter Martinus Lutherus totis viribus diſſeminare

curauit.

Digitized by Google

curauit. Eraſmus Roterodamus idẽ amplexus eſt. Ioannes VVitclef impudentiùs omnibus: aduerſus confeſſionẽ ſecretam inuectus eſt, dicens eſſe inſtitutionem papalem, in cap. *Omnis vtriuſq; ſexus*, abſque vlla auctoritate. Iulianus etiã Apoſtata hanc eandẽ confeſſionẽ auricularẽ, tamquam adinuentũ humanũ repudiauit. Verumtamen S. Tho. 3. p. q. 84. art. 7. vbi quærit, vtrũ fuerit ſacramentum pænitentiæ conuenienter in noua lege inſtitutum? Egregiâ ratiòne hanc exprimit difficultatem, dicens: *Quòd in hoc ſacramento actus pænitentis ſe habet vt materia: id autem quod eſt ex parte ſacerdotis, qui operatur vt miniſter Chriſti ſe habet vt formale & completiuũ ſacramenti. materia verò etiã in alijs ſacramentis praeexiſtit à natura, vt aqua; vel ab arte: vt panis: ſed quòd talis materia ad ſacramentum aſſumatur, inſtitutione indiget hoc determinante. ſed forma ſacramenti, & virtus ipſius totaliter eſt ex inſtitutione Chriſti, ex cuius paſſione procedit virtus ſacramentorum. ſic ergo huius ſacramenti materia praeexiſtit à natura (ex naturali enim ratione homo mouetur ad pænitendum de malis quæ fecit) ſed quòd hoc vel illo modo homo pænitentiam agat, eſt ex inſtitutione diuinâ. vnde & Dominus in principio prædicationis ſuæ indixit hominibus, vt non ſolũ pæniterent, ſed etiã pænitẽtiã agerent, ſignificãs determinatos modos actuũ, qui requiruntur ad hoc ſacramentum. ſed id quòd pertinet ad officiũ miniſtrorũ, determinauit Mat. 16. Vbi dixit Petro, tibi dabo claues regni cælorũ, &c. Efficaciã autẽ huius ſacramenti & originẽ virtutis eius, manifeſtauit poſt reſurrectionẽ Luc. vlti. Vbi dixit quòd oportet prædicari in nomine*

S. Tho.

 eius

Digitized by Google

eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes; præmiſſo ſermone de paſſione & reſurrectione. ex virtute enim nominis Iesv *Chriſti patiẽtis & reſurgentis, hoc ſacramentũ efficaciam habet, in remiſſionem peccatorum.*

Chriſoſt. S. Ioannes Chryſoſtomus lib. 2. de Sacerdotio, explicans illa verba, Ioannis 20. ad

Ioa. 20. Apoſtolos, *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt. Quid ipſum* (inquit) *hoc aliud eſſe dicas, niſi omnium rerum cæleſtium poteſtatem illis à Deo conceſſam? Quorum enim* (ait) *peccata remiſeritis, remittuntur. Pater omnifariam filio poteſtatem dedit; cæterum video ipſam eandem omnifariam poteſtatem à filio illis*

S. Athan. *traditam.* S. Athanaſius ſermone in illa verba, *Profecti in pagum qui ex aduerſo eſt, inuenietis pullum alligatum. Nos ipſos* (inquit) *examinemus, num ſoluta ſint noſtra vincula, vt in melius proficiamus. quòd ſi nondum ſoluta ſunt vincula, tradas teipſum diſcipulis* Iesv; *adſunt enim pro poteſtate ea, quam à Saluatore acceperunt. Quæcumque enim ligaueritis* (inquit) *in terra, erunt ligata & in cælis, & quæ ſolueritis in terra, erunt ſoluta & in cælis. Ioannis 20. & ſi quibus remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Hinc igitur planum colligitur argumentum, quod & illic fuerit inſtituta cõfeſſio, & tamquã neceſſaria.

Cõc. Trid. Sed & hoc manifeſtè in Tridentina Synodo definitur, Seſſ. 14. Can. 6. his verbis: *Si quis negauerit confeſſionem ſacramentalem, vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe iure diuino, aut dixerit modum ſecretè confitendi ſoli ſacerdoti, quem Eccleſia ab initio ſemper obſeruauit, & obſeruat,*

obſeruat, alienum eſſe ab inſtitutione & mandato Chriſti: & inuentum humanum anathema ſit.

Hoc etiam demonſtratione theologicâ manifeſtatur. Tenemur enim in cōfeſſione aperire omnia peccata etiam abditiſſima vſque ad intimas cordis cogitationes; abſque vllâ namque reſtrictione dixit Chriſtus Dominus Apoſtolis, Ioannis 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* de omnibus etiam occultis abſoluendi faciens poteſtatem; ſi tamen in ſacramentali confeſſione pandantur. Sic habetur in capite *Omnis vtriuſque ſexus*, de pænitentijs & remiſſionibus. Et in Concilio Florentino in decreto Eugenij. Sic S. Auguſtinus ſermone 55. cuius verba referuntur Canone, *Agite*, de pænitentia diſt. 1. Idem tenet libro 2. de viſitatione infirmorum. Idem S. Ambroſius, in libro de Paradiſo, cuius verba habentur in Canone *Non poteſt* 1. de pænitentia, diſt. 1. Origenes ſuper pſalmum 37. S. Hieronymus in Eccleſ. cap. 10. S. Cyprianus ſermone 5. de lapſis. Tertullianus in libro de Pænitentia. S. Dionyſius. S. Pauli Apoſtoli diſcipulus in epiſtola ad Demophylum. S. Clemens ſucceſſor S. Petri Epiſtolâ 1. Cæterum Eccleſia circa actus internos nullum habet ius, neque de occultis iudicat, ſed ſolus Deus; igitur ſolus Deus potuit ſacramentum inſtituere, vbi teneantur homines occulta cordis confiteri.

Floren. *Auguſt.* *Ambr.* *Orige.* *Hieron.* *Cypr.* *Tertull.* *Dionyſ.* *Clemens.*

CAPVT V.

Sacramentalem confeſsionem ad ſalutem eſſe neceſſariam.

SACRAMENTALEM confeſſionem eſſe ad ſalutem neceſſariam, & neceſſitate finis & neceſſitate præcepti, poſtquam homo in læthale crimen inciderit, ſupponere operepretium duximus. Itaque qui mortale peccatum cōmiſit, impoſſibile eſt ſine ſacramentali confeſſione in re vel voto ſuſceptâ, æternam aſſequi ſalutem, aut à peccato purgari. doctrinam hanc omnes hæretici ſuprà allegati reijciunt. Cæterum eam docet Origenes Homiliâ 2. in Pſalm. 37. *Quoniam iniquitatem pronuncio. Pronunciationem iniquitatis, id eſt, confeſſionē peccati frequenter diximus. vide ergo quid docet nos ſcriptura diuina, quia oportet peccatum non celare intrinſecus. fortaſſis enim ſicut ij qui habent intus incluſam eſcam indigeſtam, aut humoris vel phlegmatis ſtomacho grauiter, & moleſtè imminentia, ſi vomuerint, releuantur: ita etiā ij, qui peccauerunt, ſi quidem occultant & retinent intra ſe peccatum; intrinſecus vrgentur, & propemodum ſuffocātur à phlegmate vel humore peccati. Si autem ipſe ſui accuſator fiat, dum accuſat ſemetipſum & confitetur, euomit delictū, atq; omnem morbi digerit cauſam.* S. Ioannes Chryſo. homiliâ 33. in Ioānem. *In peccatis quæ commiſimus, confitentes neminem vereamur, Deū dumtaxat (vt decet) formidemus* *qui &*

Orig.

Chriſoſt.

qui & nunc opera noſtra videt, & tunc quos in præſentia non pænitet, dãnabit. Et infrà: *Cõmiſiſti aliquod ſcelus, aut omnino agitaſti; homines celas non Deum, & nihil curas, oculos hominũ formidas.* Et infrà: *Vos autem hortor dilectiſſimi, vt etſi nemo opera noſtra videat, vt ſinguli conſcientiã ſuã ingrediantur & iudicem ſibi rationem conſtituãt, errata ſua in medium adducant, niſi velint in die illa horrenda vniuerſo orbi ea manifeſtè patere; ſanẽtur iã vulnera, ſumatur pænitẽtiæ medicina.*

Boëtius in lib. 1. de conſolatione, proſâ 4. in principio. *Si opem medicãtis expectas, oportet quod morbũ detegas. ſicut igitur corporalis medicina ad corporis valetudinẽ; ita, immo verò & multò magis, confeſſio ad finẽ æternæ ſalutis neceſſaria eſt.* — *Boëtius.*

S. Tho. 3. p. q. 84. art. 5. vbi quæſtionẽ hanc ex profeſſo diſputat, ita eam determinat in corpore articuli. *Reſpõdeo dicendũ, quod aliquid eſt neceſſariũ ad ſalutẽ dupliciter. vno modo abſolutè: alio modo ex ſuppoſitione. abſolutè quidẽ neceſſariũ ad ſalutẽ eſt illud, ſine quo nullus ſalutem conſequi poteſt: ſicut gratia Chriſti, & Sacramentũ Baptiſmi per quod aliquis Chriſto renaſcitur: Ex ſuppoſitione autẽ eſt neceſſariũ ſacramentũ pænitentiæ. Quod quidẽ neceſſariũ eſt, non omnibus ſed peccato ſubiacẽtibus. Dicitur enim 2. Par. vlt.* Et tu Deus iuſtorũ non poſuiſti pænitentiã iuſtis, Abrahã, Iſaac & Iacob, his qui tibi nõ peccauerũt. *Peccatũ autẽ cùm cõſummatũ fuerit, generat mortẽ: vt dicitur Iaco. 1. & ideo neceſſariũ eſt ad ſalutẽ peccatoris quòd peccatũ remoueatur ab eo. Quod quidẽ non poteſt fieri ſine pænitentiæ ſacramento: in quo operatur virtus paſſionis Chriſti per abſolutionẽ ſacerdotis, ſimul cũ opere pænitẽtis, qui cooperatur* — *S. Tho.* — *2. Paralip. vlt.* — *Iac. 1.*

Digitized by Google

gratiæ ad deſtructionem peccati: ſicut enim dicit Auguſtinus ſuper Ioannem. Qui creauit te ſine te, non iuſtificabit te ſine te. vnde patet quòd ſacramentum pænitentiæ eſt neceſſarium ad ſalutem poſt peccatum: ſicut medicatio corporalis, poſtquam homo in morbum periculoſum inciderit.

Luc. 8. Præcipuè probatur ex illo Lucæ 8. *Si pænitentiam non habueritis, omnes ſimul peribitis,* Patres itidem Concilij Tridentini ſeſſ. 6. ita diſcernunt. *Si quis negauerit confeſſionem ſacramentalem ad ſalutem neceſſariam eſſe, anathema ſit.* Confirmat hoc etiam illud Iacobi 5. *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro inuicem vt ſaluemini.* Vbi Apoſtolus ſacramentalem confeſſionem, quæ iam pridem à Chriſto Domino inſtituta erat & præcepta, promulgauit. Neque illud verbum, *alterutrum,* quempiam turbare debet, vt confeſſioni non ſacramentali conuenire cenſeat; nec ſacramentali poſſit adaptari. *Hug. Victor.* Hugo de Sancto Victore lib. 2. de Sacramentis part. 14. c. 1. *Quid eſt* (inquit) *alterutrum?* addit è veſtigio *non ſolùm homo Deo, ſed inter vos alter alteri, homines hominibus, oues paſtoribus, ſubiecti prælatis, ij qui peccata habent, ijs qui dimittere peccata poteſtatem habent.* Atque hoc quidem mos obtinuit loquendi: dum enim Epiſcopus ait alicui, pro tuo beneplacito confeſſarium elige; non proinde iudicandus eſt eligendi laicum facultatem feciſſe; ſed vt non ſolum proprio ſacerdoti (cui de iure confiteri tenetur) ſed etiam alijs ſacerdotibus, valeat ſua ſacramentaliter peccata detegere. Hic ſenſus illius loci, eſt S. Auguſtini lib. 1. de viſitatione infir-

morum

Digitized by Google

morum cap. 4. ſi eius eſt ille liber. Venerabilis Beda in Iacobum ſimiliter illa verba interpretatur. *Beda.*

Hoc etiam ex contextu verborum Apoſtoli colligere non eſt difficilè; præmiſerat enim, *Infirmatur quis ex vobis? inducat præſbyteros ecclesiæ.* *Iac. 5.* Et paulò poſt ſubiunxit: *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro inuicem vt ſaluemini.* Præcepit igitur fieri confeſſionem præſbyteris, ad ſalutem, non laicis. Ex ſupradictis ſimul fit conſequens, confeſſionem ſacramentalem ſemper neceſſariam ex præcepto fuiſſe. conſtituit enim Dominus ſacerdotes non iudices arbitros, quos pro noſtrâ liberâ voluntate conſtituamus, ita vt ſi peccator velit confiteri, ſacerdos poſſit ipſum de confeſſis peccatis iudicare: ſed veros, & ordinarios, quibus peccatores in foro conſcientiæ tenentur ſua crimina confiteri. *Qui enim abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur.* *Prou. 28.* Prouerb. 28. Iuris autem diuini præceptum, ſolùm tempore neceſſitatis vrgebat; quippe quod affirmatiuum eſt. Ius autem poſitiuum in cap. *Omnis vtriuſque ſexus,* de pęnitentijs & remiſſionibus, confeſſionem annualem pręcepit.

CAPVT VI.

Sacramentalem confeſsionē eſſe materiam proximam ſacramenti Pænitentiæ.

AD intelligentiam difficultatis propoſitæ à principio, quam explicare præcipuè contendimus, oportet altâ conſideratione modum aduertere, quo confeſſio, ſacramenti pænitentiæ materia ſubſiſtat. Quod breuiſſimâ
S. Tho. ratione S. Tho. 3. p. q. 84. art. 2. comprehendit: quærit enim. *Vtrum peccata ſint propria materia pænitentiæ?* Et reſpondet: *Duplex eſt materia, ſcilicet proxima, & remota: ſicut ſtatua proxima materia eſt metallum, remota verò aqua. dictū eſt autē quod materia proxima huius ſacramenti ſunt actus pænitentis, quorum materia ſunt peccata, de quibus dolet, & quæ confitetur, & pro quibus ſatiſfacit; vnde relinquitur quòd remota materia pænitentiæ ſunt peccata, non acceptanda, ſed deſtruenda & deteſtanda.* Quòd & probatur ex illis ver-
2. Cor. 12. bis Apoſt. 2. Cor. 12. *Non egerunt pænitentiā ſuper immunditia & fornicatione, & impudicitia quā geſſerunt.* Itaq; peccata nō ſunt materia ex qua, quę cū ſacramēto permaneat: ſed ſunt materia circa quā, ſicut ſtipula eſt materia ignis, quę deſtruit. Sunt igitur peccata materia circa quā reſpectu actuū pænitentis, qui ſunt materia ex qua, ipſius ſacramenti. quemadmodum enim peccata noſtra corde, ore, opereq; perpetrauimus: ita cordis contritione, oris confeſſione,

ſione, operiſq; ſatisfactione eadẽ deteſtamur & deſtruimus; quatenus hęc, formæ ſacramentali, quę à miniſtro Chriſti exhibetur ſubiacẽt.

Actibus itaque noſtris, vt à noſtrâ voluntate deficiente fluxerunt, delinquimus: actibus quoque noſtris, vt à voluntate noſtrâ, Dei auxilio eleuatâ, roborataque proficiſcuntur & inſpirātur, ab illorum malorum actuum morte, ad vitam reſurgimus: quemadmodum nos paucis verbis inſtruit S. Tho. 3. p. q. 84. art. 1. ad 2. apponens differentiam inter aliorum ſacramentorum. Et pænitentiæ materiam, in hunc modum, *Dicendum quòd in alijs ſacramentis, quæ habent corporalem materiam, oportet quòd illa materia adhibeatur à miniſtro Eccleſiæ, qui gerit perſonam Chriſti; in ſignum quòd excellentia virtutis in ſacramento operantis eſt à Chriſto. In ſacramento autem pænitentiæ (ſicut dictum eſt) ſunt actus humani pro materia, qui proueniunt ex inſpiratione internâ. Vnde materia non exhibetur à miniſtro, ſed à Deo interiùs operante. Sed complementum ſacramenti exhibet miniſter, dum pænitentem abſoluit.* Manifeſtum eſt ergo materiã huius ſacramenti actus pænitentis exiſtere. S.Tho.

Quod etiam ex Concilio Florentino, aperte id ipſum docente, recipimus; cum inquit. *Omne ſacramentum conſtat materiâ & formâ, iuxta verbum Auguſtini, Accedit verbum ad elementũ & fit ſacramentum; actus ſunt quaſi materia ſacramenti pænitentiæ*, non ait quaſi materia, vt materiæ rationem diminuat, aut non eſſe materiam inſinuet; ſed eo quòd non ſunt materia extrinſecus appóſita, ſicut aqua in baptiſmo, & chriſma in confirmatione. Conc. Flo.

Habetur

Coc.Trid. Habetur hoc definitum in Concilio Tridentino. ſeſſ. 14. can. 4. de ſacramento pænitentiæ. *Si quis negauerit, ad integram & perfectam peccatorum remiſſionem, requiri tres actus in pænitente, quaſi materiam ſacramenti pænitentiæ, videlicet, contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem, qui tres pænitentiæ partes dicuntur, anathema ſit.* Eſt autẽ operæpretium cognoſcere; qui dicantur actus pænitentis. Cuius rei regulam nobis proponit S. Thomas in ſupplemento quæſt. 9. art. 3. ad 2. dicens: *Quòd in eo qui vſum linguæ non habet (ſicut eſt mutus, vel qui eſt alterius linguæ) ſufficit quòd per ſcriptum, aut per nutum, aut per interpretem confiteatur: quia non exigitur ab homine plus quàm poſſit; quamuis homo non poſſit, vel debeat baptiſmum accipere niſi in aqua; quia aqua eſt omnino ab exteriori, & nobis ab alio exhibetur, ſed actus confeſſionis eſt ab intra, & à nobis: & ideo quando non poſſumus vno modo, debemus ſecundùm quòd poſſumus confiteri.* Vbi liquido ponit diſcrimen inter materiam baptiſmi, & materiam pænitentiæ ſeu actus confeſsionis, quòd materia baptiſmi duas conditiones ſortitur, ſcilicet, & quod eſt omnino ab exteriori, & nobis ab alio exhibetur; confeſsio verò è contra ſe habet, eſt enim à nobis, & rurſus ab interiori procedit. Vnde baptiſmus non poteſt dari niſi in aqua, quæ determinata eſt pro materia ab exteriori, & ab alio, puta baptizante, applicantur; confeſsio autem cùm tantùm exigat vt à nobis ſit, & ab interiori oriatur; ſi nequit verbo vocali fieri, quod eſt proprius nuncius mentis, nutu fiat aut ſignis, aut ſcripto, vel per interpretem: ita tamen

S. Tho.

Diſcrimẽ inter materiã Baptiſmi & Pæniten.

Digitized by Google

tamen quòd actus aliquâ vultus imagine, aut ſigno approprietur pænitenti, vt propriè dicatur actus pænitentis. Scriptura namque non eſt immediatè ſignum mentis, ſed vice vocalis verbi ſupponitur; quod & ſignificat tamquam ipſius ſignum ad placitum; quare non videtur per ſe idonea eſſe pænitentiæ materia.

CAPVT VII.

Ego te abſoluo, *eſſe conuenientiſſimam pænitentiæ ſacramenti formam.*

PRÆMITTENDVM etiam eſt, abſolutionis formam, quâ pænitentię ſacramentum completur, eſſe, *Ego te abſoluo*; quam hæretici, ſicut alia Eccleſiæ Chriſti fundamenta, labefactare conati ſunt: VViclef, Lutherus, & aliqui eorum, quorum ſupra meminimus. Quorum error in Concilio Florentino decreto Eugenij retunditur, dum formam huius ſacramenti, *Ego te abſoluo* eſſe decernit. Et in Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 3. ſic habetur, *Docet præterea ſancta Synodus, ſacramenti pænitentiæ formam, in qua præcipuè ipſius vis ſita eſt, in illis miniſtri verbis poſitam eſſe, ego te abſoluo, &c.* Verba quoque S. Thomæ huius formę rationem exprimentis, referam, vt clarius procedamus 3. parte q. 84. art. 3. *Hoc ſacramentum (ſcilicet pænitentiæ) non conſiſtit in conſecratione alicuius materiæ, nec in vſu alicuius materiæ ſacrificatæ, ſed magis in remotione cuiuſdam materiæ,* Cõc. Trid.

ſcilicet

ſcilicet peccati, prout peccata dicuntur eſſe materia pænitentiæ: vt ex ſuprà dictis patet. Talis autē remotio ſignificatur à ſacerdote, cùm dicitur: Ego te abſoluo. *Nam peccata ſunt quadā vincula, ſecundum illud Prouerb. 5.* Iniquitates ſuæ capiūt impiū, & funibus peccatorū ſuorum conſtringitur. *vnde patet quod hæc eſt conuenientiſsima forma huius ſacramenti,* Ego te abſoluo.

Prou. 5.

Idipſum conſtare poteſt ex eo quod ſicut Dominus dixit diſcipulis, Mathæi vlti. *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti:* ita dixit Petro Math. 16. *Quodcumque ſolueris ſuper terram, &c.* Sed ſacerdos authoritate illorum verborum Chriſti fretus, dicit: *Ego te baptizo;* Ergo eādē authoritate dicere debet in hoc ſacramento, *Ego te abſoluo.* Per hanc formam ſacerdos, qui ſolus miniſter eſt huius ſacramenti, pænitentē abſoluit, ſententiamq; quam ipſe tulerit, Deus ſine vlla cunctatione confirmat, atque ideo Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio, ſacerdotij dignitatem cuiuis alteri præferendam cenſuit dicens: *Terreſtres dignitates habent quidem vinculi poteſtatem, ſed in corpora tantum: at ſacerdotum vinculum, vniuerſos animæ receſſus attingit, atque virtute ſuâ cælos penetrat. vſque adeo, vt quæcumque infernè ſacerdotes confecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat, ac ſeruorum ſententiam Dominus confirmet.* Quam poteſtatem non modo nullis Regibus aut Principibus, verum ne ipſis quidem Angelis aut Archangelis datam eſſe fatetur. Et de verbis Eſaiæ: *Vidi Dominum,* homiliâ 5. *A terra (inquit) iudicandi principalem authoritatem ſumit cælum, nam Iudex*

Matt. vlt. & 16.

Chryſoſt.

Iudex ſedet in terra, Dominus ſequitur ſeruum; & quidquid hîc in inferioribus iudicarit, hoc ille in ſuperioribus comprobat. Quibus verbis manifeſtè error eorum exploditur, qui ante quadringentos annos, *abſoluere*, abſolutos oſtendere, interpretati ſunt. Si namque ſeruum iudicantem Dominus ſequitur; quomodo ſacerdos verè pænitentem non abſoluit, ſed abſolutum eſſe à Deo ſignificat?

S. Bernardus ſermone 1. in die Petri & Pauli, manifeſtis verbis hoc aſſerit dicens: *Claues Regni Cælorum tam ſingulariter Petrus accepit, vt præcedat ſententia Petri ſententiam cæli; ac ipſe quidem hoc auctoritate ſuâ Deus facit, ſed in ea tamen re miniſterio ſacerdotis vtitur. Itaque quidquid eis ſacerdos facit, non ſuâ propriâ, ſed à Deo ſibi conceſſâ poteſtate facit.* Chryſoſtomus etiam libro 3. de ſacerdotio, auctoritatem ſacerdotij veteris legis, à ſacerdotij nouæ legis dignitate diſcernens ita loquitur: *Corporis lepram purgare, ſeu verius dicam, non purgare quidem, ſed purgatos probare Iudæorum ſacerdotibus ſolum licebat: neque neſcis quanta cum ambitione, quanto cum ſtudio ac concertatione, ſacerdotalis dignitas id temporis acquirebatur. At verò noſtris ſacerdotibus, non corporis lepram, verum animæ ſordes, non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt.* Eundem errorem Hugo de ſancto Victore lib. 3. de Sacramentis, p. 14. c. 8. grauiter his verbis reprehendit. *Non dicit quodcumque ſolueris, hoc eſt, vt iſti aiunt, ſolutum oſtenderis, fuit ſolutum; ſed, erit ſolutum: quia ſententiam Petri non præcedit, ſed ſubſequitur ſententia cæli.*

[Margin notes: *Bern.* — *Chryſoſt.* — *Hug. Victor.*]

Et pau-

Digitized by Google

Et paucis interiectis proſequitur. Vbi dixit: *Si oſtenderitis fiet? nunquam dixit hoc. ſed dixit, ſi feceritis erit.*

Richard. Vict.

Richardus cap. 12. de poteſtate ligandi atque ſoluendi, adhuc acrius hanc repræhendit ſententiam. *Extat* (inquit) *quorundam, de poteſtate ligandi atque ſoluendi, ſententia tam friuola, vt ridenda potius videatur quam refellenda. Putant enim & prædicant ſacerdotes non habere poteſtatem ligandi atque ſoluendi; ſed oſtendendi homines eſſe ligatos ſiue ſolutos: ſed nunquid Dominus dicit, quodcumque ligatum oſtenderitis, erit ligatum: & quodcumque ſolutum oſtenderitis erit ſolutum? Non oſtendendi aliquem ligatum aut ſolutum; ſed ipſa ligandi, ſoluendique poteſtate ſacerdotibus à Chriſto data eſt.* Denique in Concilio Tridentino, ſeſſ. 14. can. 9. ita definitur. *Si quis dixerit abſolutionem ſacramentalem ſacerdotis, non eſſe actum iudicialem, ſed nudum miniſterium pronunciandi & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti, anathema ſit.*

Sacerdos nõ indicat pænitentẽ abſolutũ eſſe, ſed ipſe abſoluit.

Eſt quidẽ abſolutio ſacerdotis miniſterium declarandi pænitentẽ eſſe abſolutũ; non tamẽ nudũ, ſed ſimul operatiuum eius quod declarat. Quoniam verba quæ in formis ſacramentorum proferuntur, non ſolum gratiâ ſignificandi, ſed etiam efficiendi causâ, pronunciantur: quatenus ab illo verbo per quod omnia facta ſunt, & à quo ſtellæ vocatæ ſunt & dixerunt *Adſumus*; vim efficacem ſortiuntur. Vnde prouenit, quod non ſolum ad homines non intelligentes, ſed etiam ad creaturas inſenſibiles deſtinantur; vt in illis ſacramentalibus verbis manifeſtum eſt. *Exorciſo te Creatura ſalis:*

quæ

Digitized by Google

quæ non tantum ſignificant, ſed etiam efficiunt. virtutem enim dæmonis fugant, ad ſalutis quoque myſteria capienda, ſenſus aperiunt.

Nemo tamen, dum de formarum ſacramentorum verbis mentionem facimus; nutus, aut ſigna, ſcripturam, interpretem, nunciumve ſufficere ſuſpicetur. Longiùs enim iſtæc à præſenti conſideratione reijcienda ſunt. illa ſolum, quę ſub propria verborum hominum appellatione comprȩhenduntur, & quæ per linguam miniſtri, aëris verberatione formantur, & vocalia dicuntur, percipiat. Sic enim S. Bonauĕtura manifeſtè loquitur in 4. diſtinct. 3. queſt. 2. vbi quærit *vtrum expreſsio verbi vocalis ſit de integritate Baptiſmi*? & reſpõdet, *Dicendum quod neceſſe eſt exprimi verbum vocale; quia Deus contulit vim verbo: vnde ſine verbo nullius eſt efficaciæ. ratio autem quare voluerit exprimi, eſt perfecta fidei profeſsio, vt ſit in facto; & verbo etiam, perfecta ſignatio. quia enim peracta eſt regeneratio per verbum incarnatum, & verbum incarnatum optimè ſignatur per verbum voce indutum, ideo voluit & inſtituit, quod eſſet ibi verbum vocale*. Quamuis autem ſolum agat in hac quęſtione de forma Baptiſmi, manifeſtè; omnibus par eſt ratio ſacramentorum formis. S. Auguſtinus tract. 80. ſuper Ioannem cap. 15. circa illa verba. *Iam vos mundi eſtis propter ſermonem meum. Vnde eſt* (inquit) *iſta tanta virtus aquæ, vt corpus tangat & cor abluat; niſi faciente verbo? non quia dicitur ſed quia creditur*. Vnde ſupponit, verbum formæ ſacramenti eſſe

Bonauent.

S. Auguſt.

quod dicitur, quod eſt vocale

S.Thom. Diuus Thomas ſequitur S.Auguſtinum, in 3. parte quæſt. 60. art. 6. vbi quærit. *Vtrum in ſignificatione ſacramentorum requirantur verba?* & reſpondet quod ſic. *Conſiderantur enim ſacramenta ex parte cauſæ ſanctificantis, quæ eſt verbum incarnatum; cui ſacramentum quodammodo conformatur, in hoc quod rei ſenſibili verbum adhibetur; ſicut in myſterio incarnationis carni ſenſibili eſt verbum Dei vnitum.* Explicans autem de quo verbo loqueretur, adducit S. Auguſtinum in 2. de doctrina chriſtiana capit. 3. vbi ait, *Verba inter homines ſunt quæ obtinuerunt principatum ſignificandi.* vnde infert, *Et ideo ad perfectionem ſignificationis ſacramentalis, neceſſe fuit vt ſignificatio rerum ſenſibilium per aliqua verba determinaretur.* Vbi manifeſtè loquitur de verbis vocalibus, quibus communiter mentem noſtram exprimimus. Eſt enim vox proprius mentis nuncius, iuxta ſententiam Platonis. Concilium item Florentinum expreſsè decernit ſacramenta conſtare verbis vt formâ, & vnicuique ſacramento ſua verba conſignat; quod de vocalibus ab Eccleſiâ intelligitur, & traditione firmatum eſt, vſu ac conſuetudine ſtabilitum.

CA-

Digitized by Google

CAPVT VIII.

Confeßionem Sacramentalem iure diuino, ac humano debere eſſe ſecretam.

SAcramentalem confeſsionem, quam auricularem vocant Theologi, quoniam ad aures ſacerdotis fit, iuxta Chriſti Domini inſtitutionem ſecreto debere fieri, Tridentinâ Synodo docente his verbis didicimus. *Si quis dixerit modum ſecretè confitendi ſoli ſacerdoti, quem Eccleſia ſemper obſeruauit & obſeruat, alienum eſſe ab inſtitutione & mandato Chriſti, & inuentum eſſe heminum anathema ſit*. ſeſſ. 14. canone 6. & cap. 5. inſtruimur, quod à ſanctiſsimis & antiquiſsimis Patribus magno vnanimique conſenſu, ſecreta confeſsio ſacramentalis, quâ Eccleſia ſancta vſa eſt, & modo etiã vtitur, fuerit ſemper commendata. ſimiliter cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, fidelibus cunctis hæc ipſa præcepta eſt; vbi paulo poſt principium ſubditur, *Omnia ſua ſolus* (pænitens ſcilicet) *peccata ſemel in anno confiteatur proprio ſacerdoti*. quo non obſtante, ante mille annos quaſdam publicas confeſsiones, de publicis peccatis, admiſit Eccleſia, vt de prudentis ſacerdotis maturo conſilio, confeſsione peractâ, condignas in conſpectu populi pænas exhiberet. Nec tamen de quibuſcumque criminibus, ſed de grauiſsimis fiebat iſta confeſsio; quod non

Cõc. Trid.

Bonauent. ambiguo ſermone, S. Bonauĕtura nos docuit in 4. diſt. 17. qu. 3. dicens. *Confeſsio ſacramentalis ſacerdoti ſoli & in ſecreto debet fieri, niſi ſit peccatum aliquod enorme, quod totam commouerit vrbem, aut totum orbem; quod quidem debet quis confiteri in publico, vt in publico pænitentia ſolennis imponatur; & vt oſtendat & recognoſcat ſe reum, vt puta ſi ſit hæreticus.*

S. Leo. Cæterum mille retroactis annis, etiam has confeſſiones publicas ab Eccleſiâ repulit Leo Papa primus, in epiſtola 57. ad Epiſcopos Cãpaniæ, cuius verba ſunt hæc; *Illam contra Apoſtolicam regulam præſumptionem, quam nuper audiui à quibuſdam illicitâ vſurpatione committi; modis omnibus conſtituo ſubmoueri; de pœnitẽtia videlicet, quæ à fidelibus poſtulatur, ne de ſingulorum genere libellis ſcripta confeſsio recitetur; cũ reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis ſacerdotibus indicare confeſsione ſecretâ.* Ex tribus autẽ quæ cõfeſsio ſecreta complectitur, videlicet quod fiat ſacerdoti, quippe qui ſolus miniſter eſt huius ſacramenti; & quod coram ſacerdote celebretur, quoniam alias erit ex natura ſua publica; eademque ratione 3. requiritur, vt nõ fiat coram alijs: in hoc igitur tertio, tantùm in quibuſdam caſibus publicam cõfeſſionem recepit Eccleſia; cæteris in vigore ſuo permanentibus: ita vt nunquam permiſſa fuerit, quę non ſit coram ſacerdote celebrata confeſsio. His ergo firmiſsimis iactis fundamentis, probationem ſententiæ negatiuę aggrediamur, & confeſsionem per litteras abſenti ſacerdoti, abſolutionemque abſenti pænitenti mittere, nullo tempore licuiſſe, nec robur aliquod obtinuiſſe,

Digitized by Google

tinuiſſe, quantum Deus dederit, manifeſtis oſtendemus argumentis.

CAPVT IX.

Argumentum ex decreto ſanctiſſimi D. N. Clementis octaui.

PRimò igitur ſententiam negatiuam probat decretum ſanctiſsimi D. N. Clementis 8. Pontificis Maximi in generali congregatione ſanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis, habitâ in Palatio Apoſtolico; *propoſita quæſtione vtrum liceat per literas, ſeu internunciũ confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere; Sanctiſsimus D. N. auditis votis patrum Theologorum, & re cum Illuſtriſsimis & Reuerendiſſimis D. Cardinalibus, contra hæreticam prauitatem Inquiſitoribus generalibus, maturè & diligenter conſideratâ: hanc propoſitionem; ſcilicet,* licere per literas, ſeu internunciũ confeſſario abſenti, peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere; *ad minus vti falſam, temerariam, & ſcandaloſam, damnauit, ac prohibuit; præcepitque ne deinceps iſta propoſitio in publicis, priuatiſue lectionibus, concionibus & congreſsibus doceatur; neue vnquam tamquam aliquo caſu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur. Quod ſi quis illam docuerit, defenderit aut imprimi fecerit, aut de eâ etiam diſputatione*

Digitized by Google

tractauerit (niſi forſan impugnando) vel ad praxim directè ſeu indirectè deduxerit: præter excommunicationem latæ ſententiæ, quam ipſo facto incurrat, & à quâ non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quâcumque etiam dignitate fulgente, etiam S. R. Eccleſiæ maiori pœnitentiario; niſi à pro tempore exiſtente, Romano Pontifice abſolui; alijs etiam pænis, pro arbitrio, affligendis ſubiaceat.

In huius decreti ſerie affirmatiuam ſententiam falſam eſſe affirmat Sanctiſſimus: conſequenter igitur confeſsionem ſimul & abſolutionem per litteras inter ſacerdotem & pænitentem abſentes, nihil valere indicat, inualidaſque tempore quocumque extitiſſe docet, dum ſententiam vti falſam condemnat, & ad minus vt temerariam, & ſcandaloſam decernit ille, cuius eſt, ea quę de iure diuino ſunt, explicare; cuiuſmodi eſt ſacramentum pœnitentię, quod ſecundum fidem ex ſuperioribus conſtat diuino iure inſtitutum eſſe. In poſterum autem prohibet doctrinam hanc docere. aut quouis modo defendere, typis mandare, in aliquo caſu probabilem dicere,& in praxim deducere. Nec habet locũ in hac materia, aſſerere quod multa prohibentur quę facta tenẽt. Licet enim ex natura rei non eſſet caſſa, & inualida talis confeſsio & abſolutio: poſt hanc tamen prohibitionem, qui confitetur abſenti per epiſtolam, aduerſatur ſummi Antiſtitis obedientiæ, incurrit excommunicationem, atque immane ſacrilegium committit; & ex cõſequenti abſolutionis forma ſuper materiam cadit indebitam ſeu indiſpoſitam: quo ſit inualidum

ualidum eſſe ſacramentum. Nec poteſt etiam probabiliter aſſeuerari quod in illis verbis decreti ſanctiſsimi D. N. vbi vt falſam damnat ſententiam, quæ tenet licere per literas, ſeu internuncium, cōfeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere: illa coniunctio copulatiuè & complexiuè teneatur, non diuiſiuè.

Ita quod confeſsionem factam abſenti ſacerdoti per epiſtolam non improbet Sanctiſſimus, ſi ſacerdos præſentem pænitentē abſoluat: nec etiā quod abſolutionē abſenti exhibitā per literas cenſet inualidā, ſi cōfeſſario præſenti cōfeſſus eſt pęnitens. Procedit ergo sūmi Pōtificis ſententia, ſolū quando ſimul cōfeſsio & abſolutio in abſentiā cōnectuntur. Hic autē dicendi modus, nullo prorſus fundamēto fulcitur. Nullus enim hucuſque eſt Auctor qui huic adhæſerit opinioni quę refellitur; ſed abſolutè omnes ſentiunt cōfeſsionē nō licere per literas in abſentia cōfeſſarij, ſimiliter & abſolutionē, ſiue diuiſiuè, ſiue complexiuè ſumantur. quo fit Summiſtas de abſolutione loqui ſimpliciter, verbo, *Abſolutio*, quomodocumque fiat in abſentia pænitentis: & de cōfeſsione eodem pacto, verbo, *Confeſsio*, ſine aliqua connexione vnius ad alteram. Non ergo ſummus Pontifex contra eam opinionem, quæ nō eſt, decernit: ſed aduerſus omnes, quæ extant, contrarias determinat. Ratione quoque euidenti hoc eſſe verum conuincitur: ſi namque cōfeſsio per literas approbatur, parique modo abſolutio per ſe diuiſim: vnde prouenit malitia, ſi in vnum ſacramentum cohæreant, vt

ſint damnabiles per decretum ſanctiſſimi? maximè quia confeſsio, & abſolutio per literas ſeparatæ ab inuicem, partes ſunt ſacramenti pœnitentiæ, ſi licent & valent. Eſt autem partium natura hæc, vt perficiantur in toto coniunctæ, & ad illud tãquam ad finem & perfectionem inclinentur. Igitur confeſsio & abſolutio per epiſtolam perfectiores ſunt, ſi coniungantur in ſacramento pœnitentiæ tamquam in toto, tantum abeſt quod iure poſſint damnari.

CAPVT X.

Argumentum ab inſtitutione huius ſacramenti deducitur.

CHriſtus Dominus cõfeſsionem ſacramẽtalem inſtituit, vt ſoli ſacerdoti ſecretò fieret. hunc modum ſemper ſeruauit Eccleſia, & in hunc vſque diem ſemper obſeruat, hoc ipſum atteſtantibus per varia tempora Sãctis Patribus, vſque ad initium naſcentis Eccleſię, vt dictum eſt. Nullo igitur modo admittenda eſt, quæ non fiat præſenti ſacerdoti confeſsio. Huic argmento ſolet adhiberi ſolutio, aſſerẽdo quod, non obſtante inſtitutione Chriſti, eccleſia publicas quaſdam confeſsiones admiſit. Vnde quæ abſenti ſacerdoti fiunt per epiſtolam ſunt admittendæ, hac ipsâ inſtitutione Chriſti nihil obſtante. Verumtamen attẽdant aduerſarij & videãt oportet, quomodo verum

verum vero conſonet. Verum eſt Chriſtum nõ vetuiſſe, quin aliquis interdum ex bono fine, quædam peccata vt publica, cõfiteretur publicè, vt publico ſatisfaceret ſcandalo. cæterum vt de omnibus peccatis fieret, etiam occultis, nunquam permiſit eccleſia. Confeſsio autem per literas, quam cõtraria docet ſententia, publica eſt per ſe loquendo, & de omnibus peccatis, tam externis quam internis, etiam cõtra duo vltima Decalogi prȩcepta commiſsis.

Præterea illa confeſsio publica ſemper fiebat præſente ſacerdote, cui clancularia perpetuò priùs fuerat omnium peccatorum prȩmiſſa confeſsio; cuius etiam maturo conſilio inſtructus pȩnitens, ad quædam iterũ cõfitenda publicè accedebat. Quod ab hinc mille trecẽtis annis tradidit Origenes in Pſalm. 37. Cum igitur optima Chriſti Domini inſtitutionum interpres ſit perpetua Eccleſiæ traditio & cõſuetudo: eccleſiaque tradiderit confeſsionis ſacramentum, iam à principio publicè de quibuſdam peccatis quandoque celebrari; docẽte hoc Tridentina ſynodo ſeſsione 14. cap. 5. hãc eſſe huius inſtitutionis intelligẽtiam non dubitamus. Verum cum nũquam eadem Eccleſia confeſsionem factam abſenti confeſſario, legatur toleraſſe, imo vero contrarium docentes, ſanctæ Inquiſitionis Patres animaduertiſſe nouerimus: ideo contra Chriſti inſtitutionem, quæ quoad hoc manſit in ſuo vigore integra, ac contra perpetuam Eccleſiæ conſuetudinem & traditionem, aduerſariam doctrinam militare credimus. *Orig.*

CA-

CAPVT XI.

Idem oſtenditur ex Decreto Eugenij.

DEinde, tertiò, Concilium Florentinum in decreto Eugenij definijt, materiã ſacramenti pœnitentiæ, eſſe oris confeſsionem. Idipſum teſtantur Patres, S. Auguſtinus & S. Thomas locis citatis. S. Gregorius lib. 8. moralium cap. 24. ſuper illud verbum, *Quapropter & ego non parcam ori meo*, *vbi* ſic loquitur. *Ori ſuo parcit, qui confiteri malum quod fecit erubeſcit, ſed iuſtus ori ſuo non parcit quia iram iudicis diſtricti praueniens, verbis contra ſe propriæ confeſsionis ſæuit. Hinc Pſalmiſta ait, præueniamus faciem eius in confeſsione. Hinc per Salomonem dicitur, Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur. Hinc rurſus ſcriptum eſt, Iuſtus in principio accuſator eſt ſui. ſed nequaquam ad confuſionem os panditur, niſi cum conſideratione diſtricti iudicij, per pauorem ſpiritus anguſtietur. vnde & aperte mox ſubditur, loquar in tribulatione ſpiritus mei. Tribulatio enim linguam ſpiritus commouet, vt reatum praui operis, vox confeſsionis impugnet*. S. Anſelmus ſuper Lucam capite 17. inquit, *Ite oſtendite vos ſacerdotibus, id eſt, per humilem oris confeſsionem ſacerdotibus veraciter manifeſtate omnes interioris*

S. Gregor.

Anſelmus.

interioris veſtræ maculas lepræ, vt mundari poſsitis.

S. Bernardus in Meditationibus, cap. 9. *Nam & hoc* (inquit) *ſaluberrimum eſt, vt homo corde pæniteat, & ore delictum ſuum confiteatur, quatenus Deus, qui prius adeſt per gratiam, cor ad pænitentiam compungat, deinde adſit vt confitenti veniam tribuat.* Leo primus Epiſtola 80. inquit. *Nec de ſingulorum peccatorum genere, libellis ſcripta profeſsio, vel confeſsio publicè recitetur: cum reatum conſcientiarum ſufficiat ſolis ſacerdotibus, confeſsione ſecreta indicare.* Caſſiodorus in pſalmum 6. *Eſt quoddam* (inquit) *iudiciale genus, in quo reus, conſpectibus Iudicis præſentatus aſsiſtit, peccatum ſuum lachrymis diluens, & confitendo diſſoluens: ſummum genus defenſionis aſſerens quo ſe ipſe condemnat.* Hugo. de S. Victore libro 2. de Sacramentis parte 14. capit. 8. *Poſt contritionem cordis, confeſsio quoque oris neceſſaria eſt.* S. Antonius de Padua, Dominica 14. poſt Trinitatem inquit, *oſtendite vos per vos, non per alios: peccaſti enim per te, ideo per te debes te oſtendere. ſequitur, Sacerdotibus, à quibus pænitentia iniungitur: ideo per ipſos ſatisfactio figuratur.* Per hoc verbum apertè habes, quod peccatores ſacerdotibus debent ſe oſtendere, quibus auctoritas ligandi & ſoluendi eſt tradita. Igitur neceſsitate ſacramenti, neceſſariò debet fieri confeſsio facie ad faciem, ſeu ore ad os, inter pænitentem & ſacerdotem.

Bernardus. *S. Leo.* *Caſſiod.* *Hug. Vict.* *Ant. de Padua.*

Huic argumẽto ſolet à quibuſdã reſpõderi, quod

quod dum fieri poteſt commodè, procedit Concilij, patrumque determinatio: non autem obſtat, quo minus in caſu neceſſitatis, quando non eſt copia præſentis confeſſarij, poſſit pænitens abſenti, ſcripto confiteri. Neſcio tamen quomodo ſaluâ conciliaris determinationis auctoritate, ac Patrum vnanimi conſenſu, hæc poſſit ſuſtineri ſolutio. Eodem etenim verborum tenore ſignatur à Concilio materia Baptiſmi, ablutio quæ aqua communi fiat; atque ſacramenti Euchariſtiæ panis triticeus & vinum vitis; quo determinatur materia ſacramenti pœnitentiæ, oris confeſſio. Nullus autem audebit dicere panem triticeum debere eligi ad conſecrationem, ac communem aquam ad baptiſmum, ſi commodè valeant reperiri, alias enim ſufficiet panis ordeaceus, & aqua roſacea, ſeu alius liquor. Quâ igitur ratione, loco facialis confeſsionis, in qua primum locum tenet verbum vocale, cuius defectu ſuccedunt nutus, ſcriptura, interpreſque in præſentiâ, ita vt fiant actus proprij pænitentis, nutu, aut aliquâ vultus imagine; audent contra Concilij definitionem, ſcriptam confeſſionem in abſentia ſacerdotis ſupponere?

CA-

Digitized by Google

CAPVT XII.

Argumentum ex capite Quem pęnitet.

PRæterea quartò, irrefragabili argumento roboratur intentum, ex cap. *Quem pænitet*, de pænitentia, diſt. 1. quod deſumptum eſt ex S. Auguſtino de verâ & falsâ pænitentiâ cap. 10. quæ liber illius nomine circumfertur & communiter recipitur, quamuis aliqui aliter opinentur; vbi habetur. *Quod præcipit Dominus mundatis, Lucæ 17. vt oſtenderent ora ſacerdotibus, docens corporali præſentiâ confitenda peccata, non per nuncium, non per ſcriptum manifeſtanda. Dixit enim ora monſtrate; & omnes, non vnus pro omnibus, non alium ſtatuatis nuncium, qui pro vobis offerat munus à Moyſe ſtatutũ Leu. 9. ſed qui per vos peccatis, per vos erubeſcatis.* S. Auguſt.

His verbis adeo manifeſtè ſententiam noſtram exprimentibus, adhuc ſolet contra niti, & adhiberi ſolutio, aſſerendo debere intelligi quando confeſsio eâ ratione, in præſentia ſcilicet, fieri poteſt: in quo caſu non eſt controuerſia. Non enim docet S. Auguſtinus nullam eſſe abſolutionem, latam in abſentem pænitentem bene diſpoſitum, & expectantem abſolutionem, ferendam horâ ſignatâ à confeſſario. Verumtamen iſta limitatio quâ facilitate dicitur, eâdem reijcitur. non enim firmo innititur fundamento, vbi namque lex nõ diſtinguit

ſtinguit nec nos diſtinguere debemus lege, *Non diſtinguamus* ff. de arbitris. ſi enim id textus voluiſſet, proculdubio illud expreſsiſſet, ſicut alia expreſsit. L. *ab hoſtibus* §. *ſed quod ſimpliciter* ff. *ex quibus cauſis* lib. 3. ff. *de officio præſidis*. & cap. *Ad audientiam*, de decimis.

Imò verò ſi S. Auguſtini textus legatur, facilè quid ſentiat comprehenditur, paulò enim inferius intentionem ſuam proſequitur. *Tanta itaque vis confeſsionis eſt, vt ſi deeſt ſacerdos, confiteatur proximo; ſæpe enim contingit quod pænitens non poteſt confiteri coram ſacerdote; quem deſideranti, nec locus, nec tempus offert. etſi ille cui confitetur, poteſtatem ſoluendi non habeat; fit tamen dignus veniâ ex ſacerdotis deſiderio, qui ſocio confitetur turpitudinem criminis*. Ecce, quãdo ſacerdotis præſentis copia nõ ſuppetit, minimè ad epiſtolam recurrendum docet. quia nimirum talem confeſsionem non ſacramentalem duxit, ſed ſacrilegam. ſi enim crimina ſacerdoti abſenti per literas confiteri, ſacramento pœnitentiæ ſatis eſſe duxiſſet: quaſi conſentaneum facilèque remedium expreſsiſſet. Inquit tamen confiteatur laico cum deſiderio ſacerdotis, vt id quod denegat inopia ſacerdotis, ſacramenti votum obtineat. Hæc eſt communis Canoniſtarum explicatio huius capitis.

CA-

CAPVT XIII.

Argumentum ex parte iudicij in foro conſcientiæ.

SVnt etiam aliæ rationes aduerſus affirmatiuam ſententiam; quare quintò arguitur. Sacramentũ pœnitentię eſt quoddam iudiciũ, in quo ſacerdos eſt iudex, pænitens vero, reus, accuſator & teſtis. Vnde ab illo cuncta peteñda ſunt. is vero ſæpe proprio amore ſeducitur, nec ſeipſum penetrat; putat ſe ſufficiẽti dolore affici, nec ſufficiẽter dolet; mortalia crimina præ ignorantiâ ſeu paſsione, leuia iudicat. Oportebit igitur eum de quibuſdam examinari, quod per diſtantiam non licet; præſentaneo cõſilio indiget, nec adeſt in abſentiâ, facultas. Denique totum iudiciũ reo cõtra ſeipſum cõmittitur, ſola abſolutio ſuper re incognitâ, & reo creditâ, iudici reſeruatur. Vulnus ergo occultum quomodo cognoſcet absẽs chirurgus, circũligabit, fouebit oleo, & curabit medicamine, niſi verba ab intimo pęnitẽtis procedẽtia illud aperiant, ſacerdos faciẽ eius contempletur, aſpectus nutuſque, mentis dolorẽ oſtẽdant? vt enim dicitur Eccle. 13. *Cor hominis immutat faciem eius, ſiue in bona, ſiue in mala.* Hoc ipsũ voluit. Cicero in Piſonem, dicens. *Vultus denique totus, ſermo quidã tacitus mentis eſt.* & in ſecundo de Oratore, *ſenſum* (inquit) *animi indicat imago, quæ eſt animi vultus, & indices oculi.* *Eccleſ. 13.* *Tullius.*

His

His conſonat illud, quod de Onia Sacerdote
Machab.3. legitur 2.Machab.3. *Iam vero qui videbat ſummi Sacerdotis vultum mente vulnerabatur; facies enim & color immutatus, declarabat animi internum dolorem: circumfuſa enim erat mæſtitia quædam viro, & horror corporis, per quem aſpicientibus manifeſtus dolor cordis eius efficiebatur.*

Exquibus palam oſtenditur, quam neceſſaria ſit præſentia pænitentis, vt ſufficiens iudicium valeat ſacerdos de internis eius aſſumere. In formam igitur reducamus argumẽtum, vt quid conuincat, manifeſtiùs appareat. Sacerdos in ſacramento pœnitentiæ eſt iudex: ſed iudicium commodè exerceri non poteſt niſi ſit præſens reus, accuſator, & teſtis, quorum omnium vicem gerit pænitens: ergo neceſſaria eſt, neceſsitate ſacramenti pręſentia. maior propoſitio eſt fidei, minor eſt euidens moraliter, vt ex ſupradictis patet. ergo concluſio concernit fidem. Confirmatur argumẽtum ex eo, quod in foro exteriori ſancitum legimus, quod accuſatoris actio per epiſtolam non recipitur, ſed vocali verbo, proprio ore prolato, vt patet, in cap. *per ſcripta* 2.quęſt.8. ibi. *Per ſcripta accuſatio ſuſcipiatur, ſed propriâ voce fiat.* Nemo inſuper iudicare poteſt niſi præſens, vt habetur in cap. *Caueatur* 3.quęſt. 9. cuius verba ſunt. *Caueant Iudices Eccleſiæ, ne abſente eo, cuius cauſa ventilatur, ſententiam proferant, quia irrita erit.* & in cap. *Abſens verò*, eâdem causâ, & quæſtione, aſſeritur, *Abſens verò nemo iudicetur, quia diuinæ & humana hoc prohibent leges.* Idipſum decernitur

in cap.

in cap. *Abſente eo.* & cap. *Omnia.* & cap. *Abſente aduerſario.* & cap. *Chartæ,* eâdem causâ & quęſt. Adde quoque quod teſtimonium teſtis abſentis refellitur, quouſque illud faciat in præſentia. Habetur expreſsè in cap. *Teſtes,* eâdem causâ & quæſt. vbi dicitur, *Teſtes per quamcumque ſcripturam teſtimonium nō ferant, ſed præſentes,* Quantò magis in foro interiori adſit coram iudice pænitens, neceſſe eſt? vbi nec accuſatio, nec teſtimonium, nec indicia aliunde petenda ſunt, niſi ab ipſo qui quemadmodum probatum relinquimus, reus eſt contra quem ferenda eſt ſententia, & ſui ipſius accuſator, & qui ſolum aduerſum ſe profert teſtimonium.

Ex parte quoque formæ ſacramenti, valida ſumuntur argumenta. Cōcilium namque Florentinum & cum eo tota Theologorum ſchola, imo & vniuerſa Eccleſia docent, ſacramenta conſtare verbis vt formâ: verba autem, ore prolata intelliguntur, nullus enim hucuſque adeo deſipuit vt aſſeueraret, per ſcriptam formam, poſſe quempiam baptizari; aut ſacerdotem mutum per illa verba, *hoc eſt corpus meum,* ſcripto mandata, poſſe panem etiam præſentē conſecrare. Igitur nec pœnitentem poterit ſacerdos, etiam in pręſentia per ſcriptam formā abſoluere; quantò minus abſentem? hoc argumento manifeſtè cōuincitur, quod hæc forma vocalis (*ego te abſoluo*) ore ſacerdotis prolata non ſolum eſt de neceſſitate pręcepti, verùm etiam ſacramenti. Itaque ſi quiſpiam ſacerdos tentaret abſoluere pænitētem præſentem, per hanc formam ſcriptam, non ſolùm peccaret

 mortaliter,

mortaliter, ſed etiam nihil efficeret.

Vrget adhuc aduerſus ſententiam illam tenentes, manifeſta ratio hunc habens modum. Dum confeſſarius mittit formam abſolutionis *ego te abſoluo* literis exaratam abſenti; vel forma ſortitur ſuum effectum & confert gratiam immediatè poſteàquam ſcribitur, aut illo tempore cum ad abſentem peruenit, & legitur: vtrumque autem horum eſt impoſsibile: ergo neutiquam fieri poteſt. Quod immediatè cum ſcripta eſt forma non conferat gratiam, manifeſta ratione colligitur; verba namque miniſtri in ſacramentis, quod ſignificant, efficiunt, & ſignificando verum, operantur: verbi gratiâ iſta forma *ego te baptizo* ſtatim prolata, dum miniſter abluit corpus, lauat animam & gratiam confert baptizato. Cæterum iſta forma *ego te abſoluo*, in abſentia pænitentis falſa eſt, illud enim pronomen te, perſonam indicat præſentem, iuxta communem ſenſum eccleſiæ, eſt autem abſens pænitens vt ſupponimus, vnde non poteſt ſuum effectum ſortiri: quemadmodum illa forma *hoc eſt enim corpus meum*, ſi ad conſecrandum abſentem panem dirigatur falſa eſt, cum ſit demonſtratiua panis præſentis qui tamen ſupponitur quod ſit abſens; vnde per eam nihil efficitur.

Nec etiam poteſt dici, formam illam, gratiam conferre, cum pænitens eam perlegerit, ſacramenta namque nouæ legis, à Chriſto domino virtutem conferēdi gratiam ſuſcipiunt, nec in hoc voluntatem miniſtrorum ſpectant. Itaque quamuis ſacramentum à miniſtris de-

pendeat

pendeat in fieri, & ab eorum intentione (ſi enim formam, materiæ, miniſter non intenderit applicare, nequaquam ſacramentum conſtabit) tamen quod ad operationem attinet, cum ſemel formam materiæ diſpoſitæ debitâ exhibuerit intentione, non poterit gratiæ collationem impedire, ſiue pro ſuo arbitratu facere, vt elapsâ morâ temporis, ſuũ effectum ſortiatur. taliter enim ſacramentis alligata eſt virtus gratiam conferendi, vt eis poſitis, veluti naturali conſequio, & neceſſariâ propenſione ſtatim ſequatur gratiæ collatio, niſi obſtet paſſi praua diſpoſitio: quemadmodum ſi ſuccendas ignem, liberum tibi fuit illum ſuccendere, ſed poſtea quàm accendiſti non poteris eius calefactionem cohibere, aut pro libito ad tempus remorari. Hoc ipſum confirmat regula, *Actus legitimi*, quæ eſt quinta in regulis iuris in 6. vbi aſſeritur: *Quod actus legitimi conditionem non ſuſcipiunt, neque diem.* quibus fit euidens quod formâ ſemel ſcriptâ, non poteſt ſacerdos eius effectum ſacramentalem detinere, donec illam legat pænitens. Imò verò licet proferat formam confeſſarius voce in præſentia pænitentis, impoſsibile eſt quâcumque intentione poſitâ, eius effectum per diem, vel per horam ſuſpendere.

Regul. iuris

CAPVT XIV.

Alijs argumentis eadem ſententia negans confirmatur.

ACcedit argumentum D. Th. ex additionibus ad 3. p. q. 9. art. 3. in argumento *ſed contra*. Sicut tenetur homo, ad confeſsionem externam fidei, quantumcumque his quæ ſunt fidei aſſentiatur interius, ita ad cōfeſsionem externam peccatorum conſtringitur quantumcumque internâ contritione cōpungatur, ſed fidei confeſſio ore faciēda eſt, Rom. 10. iuxta verbum Apoſt. ad Rom. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſsio ad ſalutem*. Ergo licet pænitens internâ contritione doleat, ore ad extra, confeſſionem criminum ſuorū emittat, ad ſalutem operæ pretium eſt; Leuit. 9. quod Leuit. 9. figuratur, vbi præcipitur, vt ſacrificium quod pro peccatis offerendū erat, offerat quiſque per ſe ſacerdoti, non per aliū. Denique confeſsio debet eſſe actus certus pœnitentis pręſens, animum ipſius vt tunc ſe habet, manifeſtans, vt egregiè docet D. Card. à Toletus. Toleto, in inſtruct. Sacerdotum lib. 3. cap. 6. Epiſtola vero non eſt actus certus pœnitentis, quo poſſit conuinci, quod ſua ſit illa confeſſio; nec explicat animum confitentis vt tunc ſe habet, quando à Sacerdote recipiuntur litteræ, ſed fortè qualiter ſe habuit, quando illas conſcripſit, igitur non eſt ſacramentalis

talis confeſſio quæ fit per epiſtolam.

Alterum argumentum eſt. Confeſſio ſimpliciter & abſolutè dicta, eſt materia propinqua ſacramenti pœnitentiæ vt conſtat ex Concil. Flor. & Trid. communique totius Eccleſiæ conſenſu: ſed confeſſio ſcripta, non eſt ſimpliciter & abſolutè confeſsio, ſed ſecundum quid & cum additamento, puta confeſsio ſcripta, quod additamentum diminuit rationem confeſsionis: confeſsio namque ſimpliciter & abſolutè dicitur de viuâ, quæ eſt actus vitalis, de ſcriptâ verò ſecundum quid, analogicè namque de vtrâque confeſsio dicitur, ſicut homo dicitur de homine viuo & mortuo, picto ſeu ſcripto analogicè. Nomine autem hominis abſolutè dicto, non intelligitur homo mortuus, pictus aut ſcriptus, ſed ſolus viuus; quoniam *analogum per ſe ſumptum ſtat pro famoſiore ſignificato*. ergo cum dicatur confeſsio abſolutè, materia proxima ſacramenti pœnitentiæ, neceſſariò venit intelligendum de confeſsione ſimpliciter dictâ, quæ eſt actus vitæ coniunctus. *Reg. Dialect.*

Hoc elegantiſſimè docet S. Tho. in additionibus ad 3. partem quæſt. 9. art. 3. ad 2. arg. vbi apponit differentiam inter materiam ſacramenti baptiſmi, & materiam ſacramenti pœnitentiæ. Baptiſmi namque materia, eſt aqua, quæ eſt omnino ab exteriori & nobis ab alio exhibetur; vnde nequit baptiſmus dari niſi in aquâ: cæterum actus pœnitentiæ eſt à nobis. Ex quo fit quod poſſit fieri confeſsio in omnibus actibus qui *S. Thom.*

ab intra procedunt, qui ſunt vitales, vitæque immediatè coniuncti, & vitaliter peccata & affectum pænitentis manifeſtantes: ergo non poteſt fieri confeſsio per ſcripturam, quę mortuum quid eſt, nec eſt confeſsio niſi tamquam in ſigno ab exteriori ſolùm exiſtenti, neque vitæ coniuncto.

CAPVT XV.

Argumentum ex cauſalitate inſtrumentali Miniſtri ſacramenti pœnitentiæ.

Cauſa efficiens alia principalis, alia inſtrumentalis.

FOrmatur quoque ratio ex parte cauſalitatis. Sacerdos enim in ſacramento pœnitentiæ, ſicuti & aliorum ſacramentorum miniſtri, in genere cauſæ efficientis collocatur. Eſt autem duplex cauſa efficiens, principalis altera, quæ per formæ ſuæ virtutem operatur, cui & aſsimilatur effectus, ſicut ignis ſuo calore calefacit; & hoc modo Deus effectus gratiæ ſacramentorum, cauſa exiſtit: quoniam gratia eſt quædam diuinę naturæ participatio; iuxta illud 2. Petri 1. *Magna nobis & pretioſa promiſſa donauit, vt ſimus diuinæ conſortes naturæ.* Alia vero cauſa inſtrumentalis eſt, quæ non agit in virtute ſuæ formæ, ſed per motum, quo à principali agente mouetur, quare non oritur effectus, inſtrumento ſimilis, ſed agenti principali, cuius virtute agitur. ſicut cathedra non

2. Pet. 1.

aſsimilatur

aſsimilatur ſerræ, quæ inſtrumentum eſt, ſed arti, quæ in mente reſidet artificis, per quam artifex, cauſa principalis eſt cathedrę. Sic igitur nouæ legis ſacramenta illorumque miniſtri, gratiam in hominibus operãtur, dum eos non ſibi, ſed Deo conformes efficiunt.

Præterea inſtrumentum duabus pollet actionibus; aliâ quidem inſtrumentali, ſecundùm quam non propriâ, ſed agentis principalis agit virtute: aliâ verò propriâ, quæ ſibi ſecundum propriam conuenit formam: ſicut ſerræ ratione ſuæ acuitatis competit ſcindere; facere autem cathedram, ſecũdum quod eſt inſtrumentum: nec tamen inſtrumentalem actionem perficit, niſi actionem propriam exerceat; ſcindendo namque, format cathedram. Pari modo ſacramenta & eorum miniſtri, per propriam actionem, quam circa corpus exercent, quod tangunt, actionem inſtrumentalem à virtute diuina fluentem exequuntur, dum in animî gratiam generant. Ex quo S. Auguſtinus non ſine magna admiratione inquit, tract. 8. in Ioannem poſt medium. *Vnde tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat?* Verumtamen epiſtola inſtrumentum eſſe non poteſt in ſacramento pœnitentiæ, cum omnino ſeparata ſit ab actione miniſtri, per quem tota ſacramentorum virtus deriuatur. Penes hoc enim miniſter & pęnitens conueniunt, quod ſicuti materia quæ ex parte pęnitentis accipitur, ſunt actus illius; ita forma quæ ſe tenet ex parte miniſtri, applicatur per actionem eius, per quem à verbo æterno diuina virtus deſcendit, & quamdiu

Inſtrumẽti duplex actio.

Aug.

Digitized by Google

actus ſacerdotis formam proferentis perſeuerat, tam diu virtus Dei ad vſum mouens ſacramenti pœnitentiæ perſiſtit. Quoniam ſacramenta, iuxta verbum Auguſtini libr. 9. contra Fauſtum, *fiunt & tranſeunt*. At epiſtola nec eſt actus miniſtri dum ad pænitentem peruenit, nec tranſit; ſed perſeuerat: nec eſt operatiua ſed tantùm ſignificatiua; ad hoc enim mittitur non vt operetur, non enim à Deo conceſſa eſt ei virtus operandi, ſed vt ſignificet ei cui deſtinatur: operari verò non valet, cum virtuti diuinæ in actu miniſtri non connectatur. Licet igitur ſacerdos, per formam ſcriptam, abſentem contendat abſoluere, caſſa & inualida erit abſolutio: tum quia epiſtola non eſt actus vitalis præſens miniſtri, tum etiam quia nullam actionem propriam circa pænitentem exercet, vt in diuinæ virtutis inſtrumentum aſſumatur. quare nec rurſus principalis agentis operatur virtute.

CAPVT XVI.

Alia argumenta quibus ſententia negatiua fulcitur.

IN Concilio Florentino conſtituitur regula generalis, quod in omnibus ſacramentis requiruntur verba vera pro formâ, & ſolum excipit matrimonium ab iſta regula: ergo ſacramentũ pænitẽtię habet verba vera pro formà, nec

nec ſufficit ſcriptura. probatur conſequentia ex regula iuris quæ aſſerit quod *exceptio firmat regulam in contrarium*; ſed excipitur matrimonium ab iſta regula, quoniam non habet verba vocalia pro neceſſaria forma; ergo in vniuerſis ſacramentis, firmatur regula, quod pro forma, verba vocalia ſortiantur. *Regul. iuris*

Arguitur vltimò. Qui ſe exponit periculo, peribit in illo, ſed qui abſoluit, offert ſe periculo nihil faciendi & ſacrilegium committendi: ergo peccat mortaliter. minor probatur. Poteſt enim contingere quod dum ad pęnitentem epiſtola peruenit ſacerdotis, iam è vita diſceſſerit pænitens, aut ſi viuit, propoſitum recipiendi ſacramentum mutauerit, aut aliquo peccato mortali grauetur: horâque quam pro abſolutione confeſſor præfixit, ſeſe obtulerit grauiſsima occaſio delinquendi, & confeſsionis atque abſolutionis oblitus in lethalę crimen corruerit: Rurſus accedens ad ſacramentum pœnitentiæ, debet concipere de peccatis dolorem; ita vt ſine dolore non ſit ſacramentum. Oportet igitur quod hoc in præſentia pænitentis examinet ac diligenter inquirat. Et quamuis huic argumento videatur aſsignari apparens reſponſio: Soto tamen & Cano. relectione de pænitentia, parte 5. hæc ratio viſa eſt efficaciſsima. Quis enim poteſt interiora hominis in abſentia penetrare? deinde quamuis literæ videantur pænitentis eſſe, potuêre tamen ab alio confingi, vt ſæpe accidit: ergo ſi attentauerint per epiſtolam in abſentia

ſentia confiteri & abſoluere: tam abſolutio quam confeſsio erit ſacrilega.

Ex quibus ſatis manifeſtum arbitror quod quamnis ſpeculatiuè ſub diſputatione poſsit cadere iſta difficultas (quod omnino negamus) quoad praxim tamen affirmatiua ſententia nullâ poſſet ratione defendi. Ea namque quæ à Magiſtro Fratre Petro Soto dicitur mendicari, inualida eſt, & opinioni probandę minus conſentanea & efficax.

CAPVT XVII.

Argumenta quædam pro contrariâ ſententiâ facta ſoluuntur.

AD primum ergo argumentum, reſpondetur. quod etiam in iudicio exteriori falſum ſupponitur. Quoniam nec accuſatio, nec teſtimonium in abſentia recipitur: nec ſententia iudicis, alicuius eſt roboris, ſi in abſentem feratur, vt ſupra probatum reliquimus. Reſpondetur ſecundò bipartitum eſſe iudicium: aliud publicum, quod in foro exteriori celebratur; aliud ſecretum, quod in foro interiori Chriſtus Dominus celebrandum inſtituit, hæc autem duo iudicia ex fine differunt, finis namque externi iudicij, Reipublicę commune bonum eſt & pacificus ſtatus: finis autem interni, parti-

Digitized by Google

particulare bonum eſt pænitentis. Quo fit vt in foro exteriori cauſæ agantur publicè; plurium teſtium teſtimonio firmentur, tabellionis manu exarentur & ſubſcribantur; & ſententia coram multis in delinquentem feratur; ac executioni mandetur: nimirum vt commune bonum promoueatur; & quod delinquentibus in punitionem, ſit alijs in exemplum: vt à ſimilibus abſtineant delictis. Cæterùm cum in conſcientiæ foro vniuerſa in ſolius pænitentis bonum agantur; non adducuntur teſtes, tabellioni locus non datur; ſed ipſe pænitens (vt dictum eſt) eſt reus, ſui accuſator, & contra ſe teſtis, inter ipſum & ſacerdotem, qui iudex eſt, cauſa verſatur. Vnus in ſecreto fert ſententiam, alius ſuſcipit: ac denique pænitens plectit in ſe, quod plectendum iudicis conſcientiæ cenſura decreuit. Vnde longè alia eſt ratio de iudicio interiori & de exteriori.

Ad ſecundum reſpondetur vniuerſas has circumſtantias non ſufficere, vt inter abſentes ſacramentum pœnitentiæ ſit validum: requiritur enim præſentia confeſſarij & pęnitentis, vt pœnitentiæ ſacramentum ſit firmum, vt dictum eſt. Et ad confirmationem ſimiliter aſsignata eſt reſponſio, quod ex Chriſti Domini inſtitutione, & eccleſiæ perpetuâ traditione conſtat, coram ſacerdote faciendam eſſe ſacramentalem confeſsionem: ita vt vſque in hunc diem aliud permiſſum fuiſſe, neutiquam cognouerimus. Imò verò

hoc

hoc ipſum ab exordio naſcentis eccleſiæ, quocumque tempore à Patribus, atque à maioribus ita factum eſſe didicimus; quod & pontificijs decretis cautum fuiſſe, ſuperiùs manifeſtauimus. Ad tertium iam ex dictis patet ſolutio, dum ſecundum enodaremus.

CAPVT XVIII.

Soluuntur reliqua argumenta.

AD quartum argumentum reſpondetur, quod Deus quoad ſufficientiam hominibus remedia prouidit, quibus ad ſalutem poſſent promoueri, *qui vult omnes homines*
1.Timot.2. *ſaluos fieri*: Cæterum quoad efficientiam, certus & firmus ſtat prædeſtinatorum numerus, qui ab æterno electi ſunt vt ſint ſancti & immaculati; hiſque finaliter omnia cooperantur in bonum. Præſcitis autem & non prædeſtinatis, ſuâ culpâ, & Dei iudicio manet æterna damnatio: vt miſericordiam & iudicium cantemus Domino. Maioris neceſſitatis eſt ſacramentum baptiſmi quam pœnitentiæ, licet vtrumque ſit de neceſsitate ſalutis; aliter autem atque aliter, vt in ſuperioribus oſtenſum eſt: Pueri namque ante vſum rationis nequeunt aliquo modo ſine baptiſmo ſalutem conſequi; adulti autem ſine ſacramento pœnitentiæ in re, poſſunt de peccatis conteri; & ſic regnum cælorum intrare.

Digitized by Google

trare. Non tamen in omni euentu ſuppetit copia baptiſmi: puer enim qui in ventre matris ſine remedio baptiſmi moritur; aut alius ſtatim natus, vbi non eſt aquæ copia, perit: alij dum extra ventrem matris ſolum caput extendunt, baptizantur, & ſalui fiunt. *Quare hunc Deus trahat, & cur alium non trahat, noli iudicare, ſi non vis errare*. Si Aug.
adultus non habens ſacerdotem præſentem, cui ſua peccata confiteatur, attritus moritur, & ad inferni profunda deſcendit; alius omnibus neceſſarijs ſuſceptis ſacramentis, ab Angelis in ſumma cælorum euehitur: quare illi iudicium, huic miſericordia ſeruata fuerit, quis iudicabit? quis cognouit ſenſum Domini; aut conſiliarius eius fuit? non igitur vt omnibus euentibus ſacramenta efficaciter medeantur, inſtituta ſunt: alias nullus hominum damnaretur, ſed vt prædeſtinationi præſcientiæque diuinæ deſeruiant. Nam etiam ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus poſitus eſt in ruinam, & reſurrectionem multorum. Non ergo expedit ſacramentum pœnitentiæ, quod ipſe Saluator, ſuâ diuinâ ſapientiâ, inter præſentes celebrandum inſtituit, ad abſentes extendere.

Ad quintum reſpondetur nullatenus eſſe in confeſsione & abſolutione per literas inter abſentes, veram materiam & formam ſacramenti pœnitentiæ: exigitur namque de neceſſitate ſacramenti præſentia inter confeſſarium & pænitentem: aliàs enim non ſaluatur vera ratio partium ſacramenti, non enim

Digitized by Google

enim ſunt actus pænitentis ſed ſacerdotis, dum per literas fit confeſſio & abſolutio, vt ſupra probatum eſt. Ad aliud de Concilio Florentino reſpondetur, minimè obiectioni ſatisfacere ſolutionem. Eſt enim illud pronomen (*te*) iuxta communem omnium opinionem demonſtratiuum, oſtendens pænitentis perſonam præſentem: nec etiam per epiſtolam ſaluatur iſta præſentia; non eſt enim præſens ſacerdos qui per pronomen (*ego*) demonſtratur; nec inſuper literis oſtenditur perſona pænitentis, quando ad eum perueniunt & leguntur, poteſt enim illas non legere, neque ſi legat, verbum (*te*) habet aliquid quod demonſtret. illud enim (*te*) debet demonſtrare pænitentem reſpectu confeſſarij præſentem, qui tamen (vt conſtat) eſt abſens: igitur nullatenus poteſt verificari pronomen (*te*) demonſtratiuum de aliquo ſubiecto.

Ad ſextum reſpondetur, quod non ſufficit prudentia nuncij, vt pericula confeſsionis per literas euitentur; neque hoc minimum periculum, vt nuncius eas perdat, & fiat confeſsio publica, aut etiam ipſemet illas aperiat, reputatur. Quod autem in hac re negotium faceſcit, non eſt periculum, ſed, quod actus ſacramentales debent eſſe perſonales & vitales; neque confeſſio ſcripta eſt materia ſacramenti pœnitentiæ; ſed illa tantum quæ à vitâ immediatè deriuatur, illi manens coniuncta, vt ſupra decretum eſt. Neque Chriſtus Dominus

minus dedit virtutem epiſtolæ conferendi gratiam per formam ſcriptam; ſed miniſtro per formam verbalem, quæ illius vitæ coniungatur. quod non piget ſæpius repetere.

Ad aliud de ſacramento matrimonij, varij ſunt modi dicendi. quidam enim aiunt, quod hic non diſputatur an ille qui ſuſcipit ſacramentum, fructu ſacramenti fraudetur. Eſt enim certiſſimum eum qui ſuſcipit ſacramentum matrimonij indignè, peccatum mortale committere, ſicuti & ſimiliter qui recipit ſacramentum pœnitentiæ. Quod ergo impræſentiarùm quæritur & conſideratur, eſt periculum admittendi ſacrilegij, quod facit communiter & moraliter, inualidam eſſe eſſentiam ſacramenti. Quod moraliter in ſacramento matrimonij non contingit; accidit autem in ſacramento pœnitentiæ. Sacramentum enim matrimonij ſi fiat per procuratores in abſentia habito conſenſu contrahentium, quamuis ſint in peccato mortali cum celebratur, verum matrimonij ſacramentum eſt: Cæterum pænitens ad pœnitentiæ ſacramentum accedens ſine dolore, & indiſpoſitus, inualidat ſacramenti eſſentiam: vnde diuerſa nimium eſt vtriuſque ſacramenti ratio. Quidam etiam profitentur matrimonium non eſſe ſacramentum niſi adſit forma ſacra à miniſtro ſacro prolata, ſcilicet, *Ego vos coniungo matrimonialiter*, ſiue alia verba ſecundum conſuetudinem patriæ: vt aſſeritur in Concilio

Cōc. Trid. Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 2. de reformatione matrimonij, quamuis non quaſi neceſſarium illud exigat.

Cōc. Colon. Hanc ſententiam tenet Concilium Colonienſe, in Enchiridio Chriſtianæ inſtitutionis, de ſacramento matrimonij folio 197. & *Guillel. Pariſ.* Guillelmus Pariſienſis libr. de ſacramentis, tractatu de matrimonio cap. 9. quæſt. 1. & *Cano.* magiſter Cano. de locis Theologicis libro 8. cap. 5. eam efficaciſſimis probat argumentis. Et iuxta hanc ſententiam, tale matrimonium non eſt ſacramentum; quia falſa eſt forma *Ego vos coniungo matrimonialiter*. vos enim reſoluitur in (te, &, te) quæ demonſtrant virum & fæminam præſentes; cum non ſint. Alij tenent quod verba vnius coniugis ſunt materia, & verba alterius ſunt forma: nec tamen inter abſentes eſſe ſa- *Caietan.* cramentum. Ita Dominus Caietanus, & alij plures, qui communiter eum ſequuntur. Et ratio illorum eſt, quoniam omnium ſacramentorum actiones, neceſſitate ſacramenti debent eſſe perſonales, ita vt alias ſuum effectum non ſortiantur; neque *Palud.* ſint validæ. Denique Palud. in 4. diſt. 1. qu. 2. artic. 3. dicit; Quod cum vir & fæmina profanè contrahunt, etſi peccato mortali ſubiaceant, non ſunt ſacrilegi: ſcilicet, quia ibi non eſt forma ſacra determinata, nec recipitur ſacramentum indebitè. At verò in ſacramento pœnitentiæ adhibetur forma ſacra, ſolùm ad ſacramenti conſiſtentiam determinata: vnde qui accedit indiſpoſitus, iniuriam irrogat formæ ſacramenti. ſimiliter dum

Digitized by Google

dum quis ſuſcipit ſacramentum Euchariſtiæ indiſpoſitus, ſacratiſſimo ſacramento facit iniuriam, & conſequenter peccat peccato ſacrilegij. Cæterùm qui recipit profanè matrimonium, non recipit ſacramentum, quod in facto eſſe conſiſtat, nec eſt ibi aliqua forma ſacra determinata, cui ſit iniurius, ſed ſolùm perficit contractum Matrimonialem per illa verba *Ego te recipio in meam.* Quare neque contra ſacramentum neque contra formam ſacramenti delinquit. Quod autem in hoc argumento quaſi res eſſet lippis & tonſoribus notiſſima, aſſeritur, ſcilicet, quòd dum pænitens eſt in extremis, & quando venit ſacerdos ad audiendum confeſſionem illius, nullus manet in eo ſenſus; vt ſaltem valeat aliquod peccatum nutibus confiteri, ſatis eſt vt adſtantes ferant de illius confeſſione in communi teſtimonium, vt poſſit ſacramentaliter abſolui; neſcio quâ ratione poſſit defendi; neſcio, inquam, qualiter ſine materiâ, ſine actione aliquâ, nutuque ipſius pænitentis, queat forma ſacramentalis citra ſacrilegij crimen applicari.

Ad ſeptimum reſpondetur. Primò, quòd intelligitur de confeſſione per literas, in præſentiâ ſecerdotis, quando pænitens nutibus inſinuat ſe illa peccata perpetraſſe, vt dicit Scotus. Secundò, reſpondetur quòd loquitur de ſatisfactione, quam communiter pænitentiam appellamus, quæ debet in ſcriptis recipi, ne obliuioni tradatur. Tertiò, reſpondetur, quòd loquitur ille textus de adulteræ pænitentiâ, quæ per ſcriptum recipienda erat. Cæterùm pænitentia illic non accipitur pro con-

 feſſione,

feſsione, neque pro pænitentiæ ſacramento; ſed ſenſus eſt, quòd à viro ſuo adultera ſeparata, debet in habitu pænitenti viuere, de cuius pænitentiâ ſi per ſcriptum conſtiterit, poterit maritus eam in ſuam domum admittere. Scribebantur enim eorum peccata, qui publicam pænitentiam agebant, vt patet in Epiſtola Leonis Papæ 57. & refertur de pænitentia diſtinct. 1. canone *Quamuis*. Poteſt firmari hoc ex Concilio Carthaginenſi 4. argumentum, & refertur in cap. *Js qui in infirmitate* 26. quæſt. 6. vbi dicitur: *Quòd ſi aliquis infirmus ſigna contritionis oſtendit, & ſua manifeſtat crimina, ſi ante confeſſoris aduentum in phreneſim inciderit, ſolò adſtantium teſtimonio poteſt eum ſacerdos admittere*, ergo in abſentia poteſt abſolui. Reſpondetur, quòd iuxta ſententiam Soti in 4. diſt. 18. quæſt. 2. art. 5. & opinionem ſapientiſsimi Magiſtri Cano, non intelligitur de confeſsione ſacramentali, ſed de reconciliatione publicâ, quæ fiebat olim vt infirmus admitteretur ad ſuffragia communia.

Leo Papa.

Concil. Carthag. 4.

Soto.

Cano.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XIX.

Doctores qui pro contraria ſententia referuntur, ab illo errore purgantur.

EX Doctoribus, etiam qui in probationem contrariæ referuntur, multi falsò citantur: potius enim in partem negatiuam propendent. Per ſingulos autem, eorum verba expendemus; & ſi quidem explicationem admiſerint, explicabimus; ſin minus, refellemus. Primus verò quem quaſi anteſignanum alij ſequuntur, eſt Paludanus Patriarcha Hieroſolymitanus, in 4. diſt. 2. art. 1. vbi dicit, *quòd ſi pænitens non poteſt ire nec accerſere ſacerdotem, non tenetur ſcribere, & mandare peccata: ſi tamen vult poteſt ſcribere & mandare, & illi reſcribere & remandare abſolutionem; & valet abſolutio, quando vterque eſt infirmus vel clauſus, pluſquam ſi fieret laico.* Hunc locum ſolent aliqui explicare de confeſſione ſacramentali; non tamen meo iudicio, iuxta mentem Auctoris, & proprium ſenſum. Tria namque in hoc articulo docet Paludanus. primum eſt, hanc eſſe definitionem confeſſionis ſacramentalis magiſtralem, ſcilicet, *confeſſio legitima coram ſacerdote peccatorum declaratio*. Et (*coram*) dicit, in præſentia, non in abſentia; per ſeipſum, ſecundum S. Auguſtinum in litera, non per nuncium, vel per epiſtolam,

Paludanus.

Auguſtinus.

quam diu per ſeipſum dicere poteſt. Dicit ſecundò, *quòd, ſi pœnitens ſcribat peccata ſua vt præſenti ſacerdoti confiteatur benefacit: ſed tamen debet ea ſuo ore exprimere, nec ſufficit tradere legenda.* Tertiò dicit *quòd ſi pœnitens nequit habere ſacerdotem præſentem, poteſt ei ſcribere confeſſionem, & ille reſcribere abſolutionem, & valebit pluſquam ſi fiat laico.*

Quæ verba nullatenus debere, nec poſſe intelligi de confeſſione ſacramentali, ex contextu eiuſdem Paludani, luce clariùs patebit. In primo enim dicto docet eſſe de eſſentia confeſſionis ſacramentalis, vt ſit legitima coram ſacerdote peccatorum declaratio: coram, inquit, in præſentiâ, non in abſentiâ. Conſtat autem verba definitionis ita definiti naturam exprimere, vt coæquentur ad inuicem, nec definitum definitionem excedat, nec econtra: nulla igitur poteſt eſſe ſacramentalis confeſſio, quæ non ſit legitima coram ſacerdote, ſeu in præſentiâ illius, peccatorum declaratio: atque ex conſequenti confeſſio per epiſtolam, non erit ſacramentalis, cum non fiat in præſentiâ ſacerdotis. In ſecundo dicto docet confeſſionem, quæ fit per literas præſenti confeſſario, ſi eidem tradantur legendæ, nec aliâ ex parte ſit pænitentis peccatorum declaratio, eſſe inſufficientem: Igitur multò minus iuxta mentem Paludani erit ſufficiens confeſſio abſenti facta ſacerdoti per epiſtolam, cum totum ex literis ſumendum ſit de pænitente iudicium. Inſuper in tertio dicto comparat confeſſionem factam per literas ſacerdoti, confeſſioni quæ fit laico, & ait eam quæ fit ſacerdoti

doti præſtare alteri quæ fit laico. Non ergo loquitur de ſacramentali; ridicula namque foret comparatio, cum non ſint eiuſdem generis ſacramentalis confeſſio, & facta laico: ſed comparantur confeſſio quæ fit laico, & ea quæ abſenti ſacerdoti per literas, quaſi non ſacramentales; neque de ſacramentali abſolutione fit mentio, ſcilicet, *Ego te abſoluo*; ſed de abſolutione generali, & deprecatiuâ, videlicet, *Miſereatur tui omnipotens Deus, &c.* In quibus præſtat oratio ſacerdotis, iuxta doctrinam Paludani, orationi laici: quoniam, per ſe loquendo, ſanctior eſt oratio ſacerdotis, & magis impetratoria.

S. Antoninus §. 3. loco ſupra citato inquit. *Sed quid de confeſſore qui abſoluit ſæcularem vbi non potuit abſoluere? aut ex ignorantiâ, vel ex verecundiâ, feſtinatione & huiuſmodi, & confeſſor poſtea experitur ſe erraſſe; nunquid tenetur hoc ſæculari dicere? Reſpondetur ſecundum omnes: quod ſæcularis excuſatus eſt, & coram Deo abſolutus; ſed confeſſarius non. Quid ergo faciet? collatio facta fuit de hoc cum multis notabilibus* Doctoribus *S. Theologiæ in Concilio Baſilienſi. Quidam dixerunt quòd debet auctoritatem à Superiore impetrare eum abſoluendi: & ſi ſine magno ſcandalo fieri poteſt, vocare, & illi dicere non eſſe abſolutum, ac eum abſoluere poſt auditum in confeſſione, vel ſi magnum ſcandalum timetur, eum abſentem abſoluat, ſi ab vltimâ confeſsione ſperatur eſſe in gratiâ. Adhuc autem & alijs placuit, ſi magum timetur & notabile ſcandalum, ſummo Deo ſacerdoti committat: pænitentiam ſolam condignam pro negligentiâ agat ſacerdos.* Iſta ſunt *Antoninus.*

Digitized by Google

S. Antonini verba formalia, in quibus nulli adhæreſcit ſententiæ in particulari: ſed tantum aliorum Doctorum varios dicendi modos recenſet. Vnde abſque aliqua ratione & fundamento illi ea ſententia inuritur, quòd tenuerit poſſe per literas in abſentiâ pænitentem abſolui.

CAPVT XX.

Explicantur dicta aliquorum Doctorum, pro contraria ſententia adducta.

Syluester. SYLVESTER in Summâ, verbo, *Confeſsio* 1. §. 15. hanc diſputat quæſtionem, & cum aliorum ſententias connumerauerit, nullam palam eligit, ſed iuxta ſententiam S. Antonini procedit. Et verbo *Confeſſor* 3. §. 1. vbi loquitur in caſu, quo ſacerdos pænitentem abſoluit ignoranter à caſu reſeruato, & poſtea cognouit illum caſum eſſe reſeruatum, quando pænitens factus eſt abſens; & dicit: quòd petitâ ac obtentâ auctoritate abſoluendi in caſu quo abſoluere nequiuit, ſecundum Directorium & aliquos peritos, in caſu illo cautè de quibuſdam confeſſis interroget, quaſi plenius informandus, & an deinde aliqua crimina perpetrauerit; & ſic denuo eum abſoluat ab omnibus, tunc & prius auditis; Vel ſi inde magnum ſcandalum timetur: abſoluat abſentem, ſi ab vltima confeſſione adhuc creditur eſſe in gratia: vel in hoc caſu, ſecundum alios

Digitized by Google

alios committat ſummo Sacerdoti Chriſto.

Iſta ſunt verba Sylueſtri quæ loquitur circa hanc quæſtionem, quæ eadem eſſe videntur cum dictis S.Antonini; vbi nullam enumeratarum ſententiarum accipit, ſed quid alij ſentiant, aperit. Et *Confeſſor 4.§.6.* inquit. *Quæritur vtrum abſens quis poſsit abſolui per literas? & dicit gloſſa Raymundi quòd non, ſed præſens pænitens à præſente ſacerdote. de pænitentia diſt. 1. cap. Quem pænit...* ex quo patet quòd neque per nuncium. Huic vni potuit ſuccumbere culpæ, quòd tandem in caſu poſito, qui confeſſus eſt in præſentia, poteſt in abſentia abſolui; neque in alio caſu hanc ſententiam admittit. ſatis patet ex dictis, Syluestrum confeſſionem per literas, & per nuncium; & abſolutionem à ſacerdote abſentè generaliter repuliſſe.

Summa Tabiena, quæ ſumma ſummarum dicitur, manifeſtè & abſque vllis inuolucris noſtram ſententiam amplexa eſt, verbo, *Confeſsio*, ſecundò, numero 34. vbi ita loquitur: *Quando ſacerdos non eſt præſentialiter, non debet per literas ad abſentem confiteri, quamuis poſsit ſacerdoti præſenti.* Et numero *37.* ait: *Quod poteſt dici confeſsionem publicam non eſſe ſacramentalem.* Manifeſtum eſt autem ſcripturam eſſe per ſe publicam. *Summa Tabiena.*

CAPVT XXI.

Explicantur aliorum Doctorum dicta.

Summa Armilla.

SVMMA Armilla, verbo, *Confeſſio ſacramentalis*, nu. 23. dicit; *Vndecima conditio eſt, quòd ſit ſecreta. Propter hoc excluduntur interpres, nuncius, ſcriptura, quibus nemo tenetur confiteri de neceſſitate, ſecundùm Caietanum: quando tamen alius modus confitendi non eſt; poteſt homo ſi vult hoc modo confiteri, quia plus ab homine non exigitur, quàm poſſit.* Hæc verba cum poſſint & debeant de confeſſione non ſacramentali intelligi, iuxta modum dicendi Paludani; neſcio quâ ratione in aduerſam ſententiam torquerentur: maximè cum infra nu. 31. doceat, confeſſionem ſacramentalem & vocalem ita eſſe de iure diuino, vt non poſſit ſuper eâ per ſummum Pontificem diſpenſari: ſed ſolùm per Chriſtum Dominum, qui confeſſionem ſacramentalem & vocalem inſtituit. Præterea quantum ex verbis ſupra dictis iudicare valeo, nihil obſtat quo minus de confeſſione ſacramentali, in præſentiâ ſacerdotis poſſit intelligi: inquit enim, *quòd illo verbo* (ſecreta) *excluduntur interpres, nuncius, & ſcriptura, quibus nemo tenetur confiteri de neceſſitate: quando tamen alius modus confitendi non eſt, poteſt homo ſi vult hoc modo confiteri.*

Ex qui-

Ex quibus verbis manifeſtè colligitur, verba facere de cõfeſſione ſacramentali in præſentiâ ſacerdotis. ait enim, primò quòd hoc modo non tenetur confiteri, quod verum eſt de confeſſione ſacramẽtali præſente ſacerdote loquẽdo. dicit ſecũdò, quòd poteſt ſi vult. quod etiã manifeſtè verũ eſt in præſentiâ; non enim nos cõturbat illud verbum (*nuncius*) cũ enim dicatur à nunciãdo, poteſt aliquis in abſentiâ & in præſentiâ, nunciare. v. g. eſt aliquis confeſſarius qui vult infirmum pænitentem audire, eſt tamen ſurdaſter nec eſt alterius copia ſacerdotis: infirmus autem præ debilitate vocem leuare non poteſt, ita vt audiatur à ſacerdote, vocat igitur alium cui peccata ſua detegit, vt ſacerdoti præſenti referat: Profectò iſte qui nunciat, interpretis rationem non habet; quoniam omnes ſunt eiuſdem idiomatis: reſtat igitur vt ſit nuncius; ſolum enim nunciare illi relinquitur. Sic vtitur hoc verbo Summa Tabiena.

Magiſter Fr. Dominicus Soto adducitur pro iſtâ ſententiâ, quia ſub dubio, & per tranſennam dixit in libro de ratione tegendi & detegendi ſecretum, ſupra citato, *Fortè poſſet pænitens abſenti ſacerdoti mittere confeſsionem ſcriptam, & ſacerdos reſcribere abſolutionem (vt ait Paludanus) de quo alias.* Cæterum legenti eum aliàs in 4. diſt. 18. quæſt. 2. art. 6. vbi eam ex profeſſo diſcutit quæſtionem; manifeſtum erit non tenuiſſe affirmatiuam ſententiam, ſed negatiuam expreſsè docuiſſe; eſt enim eius reſolutio, Quod confeſſio, quæ fit per literas abſenti ſacerdoti, non ſolùm non cadit ſub obli- *Dom. Soto*

 gatione,

gatione, verùm certè nec eſt valida. Quam concluſionem multis corroborat argumentis.

CAPVT XXII.

Explicatur quid ſenſerit Author Margaritæ Confeſſorum.

Marg. Confeſſ. MARGARITA confeſſorum non ſolum contrariam ſententiam non ſequitur, *S. Thom.* verùm etiam à doctrinâ S. Thomæ in additionibus ad 3. partem, non recedit; cuius verba hunc habent modum: *Confeſſio prout eſt pars ſacramenti habet determinatum actum, ſicut alia ſacramenta habent determinatam materiam, & ille eſt proprium verbum, quo conſueuimus proprios conceptus manifeſtare, ſicut in baptiſmo aſſumitur illud elementum, cuius eſt in abluendo cõmunior vſus: alij namque modi inducti ſunt in ſupplementum. igitur non habenti vſum linguæ, vt eſt mutus, vel qui eſt alterius linguæ, ſufficit confiteri per nutus, per ſcriptum, aut interpretem; quia non exigitur ab homine pluſquam poſſit: In abſentia verò ſacerdotis poteſt confiteri laico; ideo non oportet quòd fiat ſcripto; quia plus pertinet ad confeſſionis neceſſitatem actus, quam ille cui fit. Neque obſtat quod baptiſmum nullus debet recipere niſi in aqua; quia ipſe eſt omnino ab extra, & nobis ab alio exhibetur: ſed actus confeſſionis eſt à nobis, ideóque quando non poſſumus vno modo, debemus ſecundum quod poſſumus confiteri:* quia de neceſſi-

neceſſitate ſacramenti eſt, quòd quis ſua peccata manifeſtet, nec poteſt quis in hoc diſpenſare. Et quamuis confiteri clerico abſenti per ſcriptum liceat, & abſoluere ſimiliter, tamen quando timetur ſcandalum, fieri non debet.

In his verbis Margarita confeſſorum fundamentum conſtituit, quod actus determinatus ipſius pænitentis, ſit ſacramenti pænitentiæ materia: qui actus, primò eſt verbum vocale, quo communiter mentem noſtram exprimimus; quo deficiente, ſubſequitur actus confeſſionis per nutus, per ſcripturam, per interpretem, quæ ſunt quædam verba, quæ ſupplent defectum primi. Semper autem ſupponitur, vt ſint actus ipſius pænitentis: dicit rurſus, quod in abſentia ſacerdotis poteſt fieri confeſſio laico, & non oportet quod fiat ſcripto, ſacerdoti, quia plus pertinet ad neceſſitatem confeſſionis actus, quam ille cui fit. Tenet igitur manifeſtè confeſſionem per literas in abſentia non eſſe ſacramentum: ſi enim intelligeret eſſe ſacramentum; neutiquam diceret quod poteſt fieri laico præſenti, nec oportet fieri ſcripto abſenti ſacerdoti. maximè namque oporteret, quia hæc confeſſio præſtaret gratiam; non autem quæ fit laico. Præterea ſi confeſſio facta abſenti ſacerdoti eſſet ſacramentalis, iuxta mentem auctoris; quomodo poteſt ſtare ſimul quod dicit, plus pertinere ad confeſſionis neceſsitatem actum confeſsionis quæ fit laico; quàm ſacerdotis cui fit confeſsio in abſentia per epiſtolã? Manifeſtũ enim eſt confeſsionẽ ſacramentalẽ, qualis

qualis dicitur eſſe per literas in abſentiâ, præſtare confeſsioni, quæ fit laico. Inſuper mendicat à S. Thoma, quòd actus confeſsionis qui eſt materia huius ſacramenti, eſt à nobis; intelligendum eſt de actu materiâ, ſcilicet, abſolutioni ſacerdotis ſuppoſitâ. Quando verò per epiſtolam confitemur, illa epiſtola non eſt actus præſens pænitentis, cum actui interiori non connectatur: ſed fortè fuit actus pænitentis quando illam ſcripſit.

Conſtat igitur quòd quando dicit, quòd confiteri clerico abſenti per ſcriptum liceat; debet intelligi neceſſariò, de confeſsione non ſacramentali (iuxta modum Paludani) quæ dimittenda eſt, ſi timetur ſcandalum.

CAPVT XXIII.

Argumentis Petri de Soto & Nauarri reſpondetur.

Petrus Soto.

MAGISTER Fr. Petrus de Soto ſummam hanc, quæ communiter ipſius nomine circumfertur non compoſuit, ſed quidam eius diſcipuli ex ijs, qui magiſtrum ſuum in cathedrâ legentem audierant multa in vnum redegerunt, & poſt eius obitum typis mandarunt. Huius rei teſtimonium ferunt verba Domini Othonis Cardinalis, in quâdam epiſtolâ, quam in principio huius libri præmiſit, quæ hunc habet modum. *Inter quæ ſcripta, & vnum extat, quod à Reuerendo Patre*

Otho. Cardinalis.

Domino

Domino Petro de Soto Dominicani Ordinis Theologo doctiſsimo, tempore, quo ſcholæ noſtræ primarius præfuit moderator ore pronunciatum, & à diſcipulis quibuſdam in certas lectiones digeſtum, exceptum eſt. Si ergo iuris rigorem obſerues; meritò hic error viro doctiſsimo adſcribi non debet. Quid enim vetat quò minus diſcipuli eius aliquas ſententias mutauerint?

Nauarrus in Manuali cap. 21. nu. 36. & cap. 26. nu. 14. & in capitulo *Quem pænitet* de pænitentia diſt. 1. nu. 4. & de pænitentia diſt. 1. cap. *Fratres* numero 1. eodem capite numero 85. affirmatiuæ adhæſerat opinioni, poſtea verò negatiuam tenuit, de pænitentia diſt. 5. cap. *Fratres* numero 94. vbi ſic ait: *Eſt caſus in cap. Quem pænitet, in principio, ibi: corporali præſentiâ ſunt confitenda peccata, non per nuncium, non per ſcripturam manifeſtanda.* Pro hac etiam facit abſolutionis forma abſolutè, quæ præſupponit abſoluendum eſſe præſentem. Ex quo ſequitur, neque per procuratorem, neque per ſcripturam, neque per nuncium fieri poſſe confeſsionem aut abſolutionem: neque mirandum, quoniam omnia ſacramenta perſonæ propriȩ actionem exigunt cum ſuſcipiuntur. Quamuis vir doctiſsimus hìc, & illic ſententiam mutauerit, nec in aliquâ firmiter pedem fixerit; imò dum ſuas lucubrationes compoſuiſſet, primò ſententiam tenuit negatiuam; poſtea verò illam deſeruit & affirmatiuam ſecutus eſt, nouiſsimè autem dum eas typis mandari fecit, idem ipſe Nauarrus opiniones ipſas inuertit, & eam, quȩ priùs erat nouiſsima, fecit primam, & primam nouiſsimam. Fuit ergo illius

Nauarrus

Digitized by Google

illius voluntas negatiuam amplecti, & in ea fixus permanſit.

Ex Auctoribus igitur allegatis pauciſſimi remanent, qui partem affirmatiuam defendant: atque opinio hæc, ſcilicet, *confeſsionem & abſolutionem per literas fieri poſſe*, vt ex ſuperioribus manifeſtum eſt, probabiliter affirmari non poteſt, quoniam reclamat huius ſacramenti ſacra inſtitutio, Eccleſiæ perpetua traditio Summorum decreta Pontificum, Sanctorum Patrum communis conſenſus: reclamat denique euidentium rationum demonſtratio, quæ efficaciſſimè comprobant confeſſionem ſimul & abſolutionem per literas omni tempore fuiſſe inualidam.

FINIS.

Digitized by Google